This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

C 9603.5

Catholic church, Italy. Pontifi-
cale. 1897

3 2044 011 291 127

C 9603.5

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE FUND OF
FREDERICK ATHEARN LANE
OF NEW YORK
Class of 1849

MONUMENTA

VETERIS LITURGIAE AMBROSIANAE

I

QUAE A LEGE SUNT JURA RESERVANTUR

Mediolani - ex Typographeo Petri Faverio - an. 1897

possit esse deuotus ꝑ
ET FUNDAT OLEUM SUPER
CAPUT EIUS IN MODUM
CRUCIS DICENS
In nomine patris &
filii & spꝰ scꝰ ungueo
te in sacerdotem mag
num ad regendam
aecclam dī et plebē
uniuersam. ET DET
OSCULUM ORDINATORI
ET CAETERIS EPIS S OBL
Haec hostia dñe qs
emundet nra delicta
& sacrificiū celebrandū

MONUMENTA

VETERIS LITURGIAE AMBROSIANAE

PONTIFICALE

IN USUM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

NECNON

ORDINES AMBROSIANI

EX CODICIBUS SAECC. IX-XV

COLLEGIT EDIDIT ET NOTIS ILLUSTRAVIT

DOCTOR MARCUS MAGISTRETTI

V. CAPITULI RR. BENEFICIATORUM OFFICIALIUM

ET SS. CAERIMONIARUM METROPOLITANAE MEDIOLANEN. PRAEFECTUS

PRAEFATUS EST

ANTONIUS M. CERIANI

PRAEFECTUS BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE

MEDIOLANI

Apud ULRICUM HOEPLI

BIBLIOPOLAM

ANNO CHRISTI M · DCCC · XCVII

e9603.5
III. 9447

HARVARD COLLEGE
AUG 23 1899
LIBRARY

Lane fund.

MEDIOLANI X APRILIS MDCCCXCVII

ADMITTITUR

PRO E.MO ET R.MO D. CARDINALI ARCHIEPISCOPO

PRESB. CAROLUS NARDI CAN. ORD. PRIMIC. MAJOR

PRO VIC. GEN.

19

S. AMBROSIO

INSUBRUM DECORI

QUIQUE

MEDIOLANENSIUM ET NUMEN ET NOMEN

XV SAECULARI ANNO

AB EIUS AD SUPEROS REDITU

MARCUS MAGISTRETTI

PRESB. MED.

INTRODUCTIO

Caeremoniarum Magister Ecclesiae Metropolitanae Mediolanensis, Doctor Marcus Magistretti, recolendo quintodecimo saeculo obitus S. Ambrosii instituit editionem Monumentorum Veterum Liturgiae Ambrosianae, in qua, omisso *Missali* ab alio praeoccupato, vulgat ex mss. codicibus *Pontificale* et *Manuale,* quod Horas Canonicas, Antiphonarium et caetera Sacra continet, et *Notas* addit quae convenientiam Ambrosianae cum documentis Romanae Liturgiae indicant.

Ista editione textus Liturgiae Ambrosianae a saec. IX ad XV repraesentabitur ex documentis authenticis, cum mutationibus et additionibus pedetentim factis, et ex notis ratio Ambrosianae ad Romanam apparebit, et antiquitas usuum Ambrosianorum.

Nemo, qui res liturgicas serio tractaverit, libenter non amplexabitur hanc ad codices exactam editionem Liturgiae, quae a Roma primis saeculis accepta, et in suis partibus praecipuis iam ante Gregorianam firmiter constituta, continuavit et continuat in usu publico, Roma favente, si mutationes perpaucas et additiones secundarias excipias, quae ex editione dignoscentur, et ex ipsa Ritus indole praecipue a Romanis sumptae, genuina accretio sunt censendae, non mutatio. Nec Ambrosianam Liturgiam esse reapse Romanam mirum videtur, mihi saltem. Haec enim longe ac late, aliter ac creditur, si quid opinor, primis saeculis in toto Occidente

obtinuit, et iure postliminii post singulares discessus restituta est, cum illis sane secundi ordinis mutationibus et accessionibus, quas prudentia Romanorum Pontificum induxit: sed de hoc fortasse alias dicam, si Deo placuerit.

Nullus Occidentalis Ritus, si Romanum excipias, exhibet ut Ambrosianus tam plene suam Liturgiam longo saeculorum cursu perseverantem in usu publico, et adhuc vigentem. Si autem codices Ambrosiani cedunt antiquitate illis Romanae Liturgiae, ex eorum collatione evincitur Ambrosianos continuasse vetustissimum usum Romanum ante Gregorium et Gelasium tum in Missa tum in praecipuis aliis partibus, in quibus tamen varietates secundi ordinis sunt, et auxilia praebere, quibus vetustissimorum usuum vestigia in Occidente dignosci et iudicari possint. Ulla tantum exempla proferam.

In *Canone Missae* Missalis *Stowe*, qui Gelasii dicitur, post Consecrationem Calicis, forma est prae Gregoriana amplior; eadem et etiam plenior fuit semper et est in Ambrosiano. Fractio Hostiae in eodem Canone Gelasiano est ante Orationem Dominicam ut in Ambrosiano, in quo, nulla unquam varietate intercedente, statim fit Commixtio, quam ille ut Romanus post Embolismum ponit. Inserta in Canone Missae *in Coena Domini* in Gregoriano et Romano hodierno ampliora sunt in Gelasiano, et in Missali Gallicano Veteri; adhuc latiora, aliis superadditis, sunt in Ambrosiano, et ea ratione quae maiorem antiquitatem sapiat.

In Horis Canonicis multa Antiphonarii Bencorensis, quae ad Laudes attinent, et a Romano usu ac Benedictino differunt, plane illustrantur ex Ambrosiano usu, in quo subsequuntur *Benedictus, Cantemus, Benedicite omnia opera,* psalmi 148, 149, 150, 116, psalmus directus, *Gloria in excelsis,* quae solum saec. XVI cessavit in Ambrosiano, Hymnus et Psallenda, et Orationes interseruntur. Imo *Benedictus* et *Cantemus* eundem in utroque textum reapse exhibent. Etiam Orationes ad Tertiam, Sextam et Nonam, ut etiam

nonnulla alia Ambrosiano usui affinia sunt, et nonnullae aliae Orationes Ambrosianas feriales resonant. S. Caesarius et S. Aurelianus (Migne, P. L., LXVII, 1102; LXVIII, 393-4, 404-5) habent quidem eodem ordine ac Bencorense et Ambrosianus, *Cantemus, Hymnum trium puerorum,* et psalmos 148-150, sed praemissis et intermixtis aliis psalmis; et prior addit in fine *Te Deum laudamus* et *Gloria in excelsis;* alter *Magnificat* et *Gloria in excelsis.*

Usus item est Hymnorum in antiphonario Bencorensi et in Ambrosiano, quem S. Benedictus ex isto sumpsisse dicunt; at Romanus longe serius recepit.

Ex hac editione testium Ambrosianae Liturgiae spero viros, qui de Liturgicis tractant, maiorem eius rationem habituros, quam hucusque fecerint, et plura correcturos falsa vel minus recta, quae passim de ea protulerunt praecedentes scriptores. Ad hoc tempus sane isti solum de ea iudicabant, ut patet ex eorum libris, ex aliqua recentiori editione, et ex paucis impuris fontibus, quamquam vel nuperae publicae editiones referebant fideliter, praesertim in rebus gravioribus, ipsos codices vetustos, quos maiori etiam fide repraesentabant pleraeque editiones ab annis 1475 ad 1548. Sed et istae editiones rarissimae sunt, et vix perviae, aut omnino non; ignota autem harum omnium concordia cum vetustissimis testibus illis imperviis iudicium de antiquitate textus impediebat. Exinde opinio succrescebat de continuata commutatione veteris textus Ambrosiani cum Romano; cum e contra concordantia ex una eademque origine esset, et summa fides, qua per saecula vel leves varietates a Romano-Gregoriano retinebantur in Ambrosiano, quaeque confirmabatur testimonio continuato ex manuscriptis a IX saeculo usque ad praesens tempus, argumentum praebebat contra opinionem anteriorum mutationum arbitrio invectarum in aliis lectionibus concordantibus. Nunc tandem cum etiam Romanae Liturgiae testes succrescunt, vel accuratioribus editionibus denuo vulgantur, aequum iudicium de hac ferri poterit,

quod plenum erit, quoad licet, si et notitiae liturgicae auctorum remotae antiquitatis addentur. Ex studio autem horum omnium cognitio plenior de vetustissimo textu Romano exurget, et facilius dignosci poterit ratio eius ad alios ritus Occidentales seriores.

Quando autem vetustissima Romana Liturgia magis perspecta fuerit, (loquor nunc tantum de Liturgia stricte sumpta, seu de Missa) tunc collatio eius cum Orientalibus, Aegyptiam dico, Antiochenam et Nestorianam, institui poterit. Quas tamen antea discutere oportebit, ut diiudicetur quaenam antiquissima sint, et quaenam tempore procedente plurima addita fuerint, partibus antiquissimis servatis integre vel forma solum mutatis. Perpauci enim antiqui libri harum Liturgiarum extant, et solum exiguarum partium; codices autem, ex quibus editiones prodierunt, si Barberinum Liturgiae Basilii et Chrysostomi excipias, eumque partim mutilum, qui est finis saec. VIII, ceteri a fine saeculi IX incipiunt; si vero Basilii et Chrysostomi seriores libri cum Barberino conferantur, plane apparet multa post hunc addita fuisse antiquiori textui, ut factum Medio Aevo in Romano et Ambrosiano initio, in offertorio et ad communionem; qui tamen prae Graecis plena fide veteres priores partes adamussim retinuerunt. Ex critica disquisitione probabilis forma vetusta Orientalium Liturgiarum apparebit, et cum vetusta occidentali conferri poterit. Quae vel nunc in praecipuis concordantia dignoscitur, pleniorem se prodet, credo; maior etiam verborum consonantia reperietur, si varietates verbales orientales et occidentales ad formam primigeniam apostolicam revocentur, quae dialecto Palaestinensi semitica utebatur. Hac enim Apostolos primum usos fuisse cum Mysteria celebrabant, mihi videtur rationi convenire, et stylus ipse Canonis, saltem circa consecrationem, indicat in Occidentali Liturgia. Cum huc perventum fuerit, ut communes vetustissimas partes, quantum fieri potuerit, dignoverimus, duo apparebunt discrimina; unum est in verbis consecrationis panis typum Matthaei

et Marci pressius sequi Liturgiam Occidentalem; illum Pauli et Lucae Orientales; illos cunctas referre in consecratione calicis, licet fusiorem formam, Occidentalis praesertim, habeant, quam in sacris auctoribus: alterum, si quid opinor, in aliis Canonis partibus formam severiorem, et semiticam alicubi redolentem offerre Occidentalem, magis ad graecum stylum conformatam et redundantem Orientales, et has abundare locis Sacrae Scripturae etiam Novi Testamenti, contra ac est in Occidentali. Apostoli sane *in fractione panis* nascentis Ecclesiae suis scriptis nondum exaratis uti nequibant. Ipsae quidem consecrationis formae cum iis quae proxime praecedunt et subsequuntur Evangelicas et Pauli narrationes referunt, sed sunt pleniores, quod originem antiquiorem Evangeliis et Paulo indicare videtur. Pronum enim ulla postea ex his omittere, sed addere istis quis postea ausus fuisset? Ex concordantia autem in principalibus cum varietate in ceteris, quae tamen est genuina accretio, non innovatio extranea, ab una prima Liturgia omnes processisse inferendum mihi videtur.

Ne tamen lector iudicet me velle alicui has meas opiniones ut certa et explorata obtrudere: eae ex usu non infrequenti harum Liturgiarum in textibus originalibus sponte mihi se obtulerunt, et profero, ut qui per otium plene investigare res possunt, diligenter inquirant.

De hac autem inquisitione ulla liceat animadvertere. In primis, auctorum de rebus liturgicis libros inspiciens, vidi non raro unum post alterum antiquiorem describere securum. Veteres sane non despiciendi, qui viam aperuerunt, quam posteri facilius ingrediuntur et prosequuntur; sed illi defectu documentorum laborabant, quae in dies late prodeunt, et iudicia quae ferebant, in multis plena esse non poterant: vel etiam aberrabant a veritate, si, ut solet homo qui in incerto consistere nescit, ex incompleta testimoniorum discussione plenum iudicium volebant proferre. Vel inveteratae ergo opiniones nova luce documentorum diiudicentur.

Iterum veteres et novi ex iisdem documentis saepe

in diversa abeunt, praesertim in discriminandis ipsis Liturgiis et in diiudicanda mutua earum ratione et origine. Varietatem sane hanc iudiciorum infirmitas humani intellectus patitur, sed fere semper non ab ipso intellectu, sed aliunde oritur differentia. Acriter fortasse sonabunt verba, sed dicam. Interdum amor, alioquin naturalis, propriae Liturgiae, praesertim si gentilis, movet et obnubilat oculos; interdum a Liturgiis postulant argumenta, quibus propria placita tueantur, et ex vera aut praesumpta origine orientali Liturgiae particularis Ecclesiae Occidentis huius autonomiam struere conantur, et auctoritatem in illam Sedis Petri oppugnare. Quod sane nec consequitur, cum etiam Orientales Ecclesiae, licet Liturgiis uterentur a quibus illae derivatae fuissent, Sedi Apostolicae subiectae essent; nec Roma ab illis postea, sed ipsae, nec tamen omnes, a Roma defecerunt; quonam autem iure cum identidem post discessum redirent, iterum abiturae, et unam confiteantur Ecclesiam in suis Symbolis, prudens quisque iudicet. Inde est ut concordantia in substantialibus in obscuro relinquatur, et differentiae, quae in rebus secundi ordinis sunt, urgeantur, et longe antiquiores iudicentur quam sunt reapse. Ex his causis etiam illud profluit, ut ex praeconceptis opinionibus auctores contrarii negligantur et despiciantur, atque documenta et argumenta, quae illi afferunt, ignorentur.

Aliam interdum originem minus recte dictorum animadverti, defectum nempe scientiae Theologiae, quae ordinatim et ex fontibus quibusque doctrinam disserens, quam Liturgiae vivide referunt et interdum solum innuunt, subsidia rectae interpretationis praebet. Quod Theologiae studium illis magis necessarium, qui libros tantum volventes nullius singularis Liturgiae eam intimiorem cognitionem habent, quae ex eius usu quotidiano oritur, atque ex substantiali omnium concordantia iuvat omnium interpretationem.

Sed iam concludendum. Gaudeo de incepto opere Doctoris Magistretti; gaudeo videns quam impigre novi textus

Liturgici eduntur vel veteres novis curis expoliuntur, praesertim in Anglia, et laetor quod tanto ardore investigentur. Utinam haec studia posita in Ecclesiae universae documentis veteribus, quae pleraque etiam nunc usu publico continuantur, ad unitatem illam perducant, quam ipsa demonstrant, praesertim in partibus quae ad Altaris Sacramentum attinent, quod Salvator noster esse voluit symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei, et charitatis connexione astrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, Nec essent in nobis schismata.

Hanc unitatem Christus post coenam ad mortem vadens tam enixe a Patre rogavit!

Sac. Obl. ANTONIUS M. CERIANI
Praefectus Bibliothecae Ambrosianae.

PRAEFATIO

Ut scite rerum liturgicarum cultores notarunt, numquam de Ambrosiano ritu recte disceptari poterit, nisi antiqui codices diligenter investigentur; quod hucusque fieri non potuit, deficientibus ad commune commodum editionibus criticis. *) Et revera, ut taceam de Monumentis ambrosianis a Muratorio editis, cum de ipsis Bollandiani aequo iudicio (*Analecta Boll.* an. 1895 pag. 323) suam sententiam iam protulerint, ita ut meam recusionem *Ordinis Ambrosiani Beroldi* commendarent, si editionis *Sacramentarii Ambrosiani* apud *Pamelium* in opere *Liturgicon Latinorum, Coloniae Agrippinae* 1571, tom. I, a pag. 293 ad 457, conspiciatur specimen diligenter a cl. D.re Antonio Ceriani examinatum in sua *Notitia Liturgiae Ambrosianae ante sacc. XI medium. Mediolani 1895,* constabit quam deficiens hactenus fuerit apparatus editionis monumentorum liturgiae ecclesiae nostrae; ita ut ad studium cultorum nonnisi editiones manuales, ut ita dicam, nempe usui hodierno aptatae, praesto sint, cum veteres codices vel saltem editiones omnino desint: unde non mirandum quod tot sententias de origine et natura nostri ritus auctores com-

*) RR. PP. O. S. B. Congregationis S. Petri de Solesmis modo polliciti sunt absolutam omnium codicum ambrosiani ritus editionem edendam uti *Auctarium Patrologiae Latinae* cl. Migne. (cf. Paleographie Musicale tom. V. fol. 4, n. 4. — Solesmes 1896).

menti fuerint, quae auctorum nomine potius quam argumentorum gravitate suffultae hucusque circumferuntur.

Omnes ecclesiarum Liturgiae, quotquot extant, ita inter se coniunctae sunt, ut nonnisi ex diligenti earundem comparatione earum notitia vera acquiri possit: sed ut id assequamur, in primis, quantum fas est, conferri debent codices, iique puriores, qua profecto praerogativa pollent antiqui; quod opportune demonstravit cl. *D. Ceriani*, in citata *Notitia*, ubi egregie ostendit rectam viam ad originem et naturam liturgiae nostrae inquirendam.

Ipse apparatus criticus quo tantus Magister Canonem Missae Ambrosianae illustravit, me deterruit, ut talem laborem susciperem; sed tamen non impedivit quominus pararem doctioribus saltem quaedam *Liturgiae Ambrosianae Monumenta*, quae utpote in pluteis ecclesiae nostrae accuratissime custodita, illis impervia hucusque fuerunt, et forte permanerent.

Quare primum inter codices exhibendum putem *Pontificale Mediolanense* quod nunc prima vice editur, paucis exponam.

Si *Canon Missae*, totius Missalis summa considerari potest; Pontificale, prima post Canonem pars Sacramentarii haberi debet: et revera Sacramentum Ordinis in primis respicit, et ritus sacramentales, a theologis Sacramentalia nuncupatos, ut Dedicationem ecclesiarum, et Virginum consecrationem, antiquissimos ritus quos Episcopi tantum conficiebant. Pontificale igitur ostendit illius Sacramentarii originem, quod in nostra Ecclesia primi Episcopi adhibuerunt; hoc itaque monumento confirmantur fundamenta iam a cl. Doctore Ceriani posita de romana liturgiae nostrae origine, et vicissim ruunt ingeniosae utique argumentationes de orientali Ambrosiani ritus origine.

Opportune suis locis indicabo quomodo Pontificale nostrum, licet gregorianam correctionem non obscure admiserit, tamen lectiones retinuerit, quae pressius leonianam et

gelasianam sapiunt: id profecto novum addit calculum ad restituendam genuinam lectionem earum partium, quae in sacramentario vulgato Gregorii nomine continentur: nam codex noster ex pluribus argumentis se exhibet veluti apographum codicis ad normam authentici romani Sacramentarii redactum.

Usus Pontificalis iuxta gregorianam lectionem in Ecclesia nostra aliam suggerit animadversionem; si Mediolanenses Antistites gregorianam quavis de causa amplexati sunt reformationem quoad Pontificale, (sive ex praecepto Romanae Ecclesiae, ut hoc modo Romani Pontificis iurisdictionem, ut ita dicam, localem, nempe ut occidentis Patriarchae recognoscerent, sive ex libera acceptatione) profecto absque ulla controversia etiam Missalis reformationem acceptam habuissent, si ad id adacti fuissent ex speciali mandato Romanorum Pontificum; quod qua demum cumque de causa, non intercessisse arguitur ex ipso inveterato et immemorabili usu antiquissimi Ordinis, qui deinceps ab ambrosiana Ecclesia nomen quoque habuit et famam.

His leviter adumbratis, ut adstruam Pontificalis nostri praestantiam, illud insuper animadvertendum est. Missale, sive ea Sacramentarii pars quae ad Missam pertinet a Romanis Pontificibus in meliorem et commodiorem fidelium et cleri usum reducta diversis temporibus fuerit, e contra Pontificale in solemniorem formam auctum est, ut primo obtutu quisque deprehendere poterit, conferendo Ordines editos a *Martene, de Antiquis Ecclesiae ritibus:* ibi enim recentiores multas et inter se frequenter diversas additiones exhibent, quae post-gregorianae censendae sunt. Sed Pontificale nostrum simplicitate sua ostendit venerandam antiquitatem Sacramentariorum Romanae Ecclesiae; et proinde, ut alii codices antiquissimi, profert primaevam rationem sacros ritus celebrandi integram in Ecclesia nostra servatam.

Ni fallor quas partes D. Augustinus (*Ep. 149 n. 16*) distinguit in liturgica Synaxi, sive Missa fidelium (cui, ve-

luti praeparatio, lectiones et preces praemittebantur ex traditione iudaica, et Missam catechumenorum constituebant) nempe *precationem* et *orationem*, hae revera ut essentiales partes uniuscuiusque Sacramenti et sacramentalis ritus in antiquis pontificalibus deprehenduntur: at audiendus in primis ipse Augustinus: « Sed eligo in his verbis hoc in- « telligere, quod omnis vel pene omnis frequentat ecclesia, « ut *precationes* accipiamus dictas, quas facimus in celebra- « tione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Do- « mini mensa, incipiat benedici: *orationes* cum benedicitur « et sanctificatur et ad distribuendum comminuitur. » Et revera *oratio super oblata*, quae et *secreta* ab aliis audit, *precationis* rationem habet: si vero *Canon Missae* integer accipiatur, uti erat in primaeva institutione antequam diversis partibus, novis accedentibus caeremoniis et signis, distingueretur, quae deinde proprium nomen habuerunt: *infra canonem*, etc., perfecte respondet *orationi* cujus Augustinus meminit.

Non diffiteor nomina quibus hae duae partes ab Augustino distinctae designantur, diversa in diversis codicibus extare; sed res ita se habet, ut nil obstet quominus prima pars alicuius ritus *oratio*, et aliquando *praefatio* (vocabulo sensu omnino diverso ab hodierno sumpto); secunda *consecratio*, vel *benedictio* vocetur, quae aliquando praescribitur dicenda *excelsa voce*, idest eodem modo, quo hodierna praefatio, prima pars canonis totius, canitur. Haec facile deprehenduntur non modo in codice nostro, ex. gr. in *ordinationibus*, in *consecratione Virginum*, et *benedictione regum*; sed in ipso Sacramentario Gregoriano a Muratori edito (cf. 184, 245, 357 et seq., 417 et seq.) ita ut ritus synaxis Liturgiae ab initio veluti typus aliorum rituum sacramentalium vel saltem nonnullorum fuerit.

Si doctioribus haec mea sententia probata videtur, facile tot ritus et ordines ad suam originem reduci possent. Et revera, eae parths quae constanter occurrunt in diversis Eccle-

siarum ordinibus pro eodem Sacramento vel ritu sacramentali, haberi debent ut partes primigeniae; illae vero orationes et ritus qui non semper iidem, vel in diversis ordinibus respective ad partes essentiales alium locum obtinent, profecto censendi sunt ut additiones posteriores, vel institutiones peculiaris Ecclesiae, ad quam codices easdem additiones exhibentes pertinent; ita ut origo illorum ordinum, selectis additionibus, facile statui possint; et in casu nostro non dubito asserere Pontificale Mediolanense Ecclesiae Romanae Sacramentarium patrem habuisse.

Id etiam confirmatur ex collationibus huius Pontificalis cum aliis antiquissimis Pontificalibus ecclesiarum dissitarum; non enim, ex. gr., tanta affinitas codicis nostri cum Pontificali *Egberti Eboracensis*, saec. VIII, explicatur, quam unam utriusque originem sive fontem repetendo in Sacramentario Ecclesiae Romanae, a qua Eboracensem Ecclesiam cum universa Anglia fidem et evangelium recepisse omnes norunt.

Non immorarer in his, nisi adhuc extarent qui ab oriente nostram liturgiam mutuatam contendant tum ab episcopis nostris, qui ex graecis oris ad nos primis Ecclesiae saeculis venerunt, tum ex commercio Ambrosii nostri cum magno Basilio; non advertunt enim et ipsam Romanam ecclesiam plures quam nostram habuisse Pontifices graecos et orientales, immo, primis saeculis etiam linguam graecam in sacra liturgia adhibuisse.

Praecipuam partem *Pontificalis Ecclesiae Mediolanensis*, quod nunc editur, suppeditat codex metropolitanus saec. IX, cui veluti *Appendix* accedunt nonnulli *Ordines pro consecratione oleorum*, et *pro benedictione et coronatione Regis et Reginae Italiae*, omnes ex antiquis melioris notae manuscriptis codicibus Ecclesiae nostrae excerpti; ita ut complectantur uno volumine omnes pontificales actiones Mediolanensium Antistitum, hucusque etiam scriptoribus nostris pene ignotae. Et quamvis documenta edenda, cum aliis aliarum ecclesiarum et praesertim Romanae, conveniant, tamen integra profe-

runtur, ut ipsa nunc primum Ambrosianam traditionem exhibeant nec omnino sperhendam; Ecclesia enim Mediolanensis, metropolis olim totius Insubriae, quae Medio Aevo Italia vocabatur, adhuc saec. X plusquam decem et octo dioeceses suffraganeas numerabat: quanti porro sit facienda Ecclesiarum traditio in theologicis disciplinis nemo non videt; et praesertim maximi est momenti cum agitur de statuendis quae ad validam alicuius sacramenti collationem pertinent, ut iam doctissimus *Io. Morinus, De sacris eccl. Ordinibus,* ut ceteros praeteream, demonstravit. Haec itaque nova editio lacunam implet, quam novissime notavit etiam cl. *Duchesne,* (*Origines du culte chrétien,* pag. 152).

Unum tamen superest advertendum: non inveniri in Pontificali nostro ritum *Confirmationis:* hoc enim sacramentum statim ministrabatur ab Archiepiscopo infantibus a cardinalibus baptizatis Sabbato Sancto vel Pentecostes, ut refert Beroldus « ....post litanias archiepiscopus surgens chrismat « praedictos baptizatos *in frontibus* in modum crucis, dicendo « hanc orationem: *Deus Pater omnipotens Domini nostri Jesu « Christi, qui vos regeneravit ex aqua et Spiritu sancto.* »*) Haec est eadem formula quam nunc quoque temporis presbyteri, post Silvestri decretum (*Liber Pontif.*, ed. Duchesne, t. I, p. 171), servant, chrismate quidem liniendo infantes, non in frontibus, sed in vertice idest, *cerebro,* ut declaravit etiam *Innocentius* in sua *ad Decentium* epistola, c. 3: « Nam presby- « teris, seu extra episcopum, sive praesente episcopo, cum « baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab « episcopo fuerit consecratum; *non tamen frontem ex eodem « oleo signare,* quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spi- « ritum Paracletum. »

*) Cfr. Sacr. Gelas. ed. Mur. 571 et 596. Eadem formula occurrit in edit. a *Warren, The Liturgy and ritual of the Celtic church, Oxford, 1881* p. 226; et in *Sacram. Gallicano,* (ed. Mur. II, 851) « *Suffundit Chrisma in fronte ejus « dicens:* Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit per aquam « et Spiritum Sanctum, quicquid (*sic*) tibi dedit remissionem omnium pecca- « torum per lavacrum regenerationis et sanguinem, ✝ ipse te liniat chrismate « suo sancto in vitam aeternam. »

Haec liturgiae Ambrosianae traditio, *) quae antiquissimam ecclesiae disciplinam Silvestro superiorem sapit, (ut enim *Menardus* in nota ad Sacramentarium Gregorianum advertit, scriptores Silvestro antiquiores, unicam unctionem chrismatis post Baptismum commemorantes, nonnisi de Confirmationis

*) Huius Sacramenti primum Mediolanensis Ecclesiae documentum suppeditat S. Ambrosius in suo libro *De mysteriis:* ubi, his expositis, quae post Baptismatis lavacrum peragebantur, nempe, unctio capitis, (nn. 29-30) lotio pedum (nn. 31-33) et traditio vestimenti candidi (nn. 34 et seq.), non obscure innuit (cap. VII, n. 37 et seqq.) Sacramentum Confirmationis ante ipsam Eucharisticam communionem neophytis per manus impositionem et chrismatis unctionem ab Episcopo fuisse ministratum, ut etiam alii Patres docent, ex gr.: *Cyrillus, Catech. myst, III; Tertullianus, de Bapt.* c. VIII, et passim *de Resurr. carnis.*, et *de praescript.; Ambrosiaster, de Sacram.* l. III, n. 8. Sed audiamus ipsum Ambrosium *(de Myster. c. III).*

« Vides quemadmodum (*Ecclesia*) delectata munere gratiarum (*baptismatis*) « ad interiora cupit mysteria pervenire, et omnes sensus suos consecrare Christo! « Adhuc quaerit, adhuc suscitat charitatem, et suscitari sibi eam poscit... Unde « Dominus Jesus et ipse invitatus tantae studio charitatis.... dicit ad Ecclesiam: « *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum* (cant. VIII, « v. 6) hoc est, decora es, proxima mea, tota formosa es, nihil tibi deest. *Pone « me ut signaculum in cor tuum* quo fides tua pleno fulgeat sacramento. Unde « repete quia accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiae et intellectus, « spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum « sancti timoris (Isai. XI, 2); et serva quod accepisti: signavit te Deus Pater, « confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis... « His abluta plebs dives insignibus ad Christi contendit altaria, etc. »

En ipsa verba quae occurunt in oratione pro Confirmatione in Gelasiano (ed. Mur. 571 et 596) et Gregoriano (65); quae oratio, cum appareat similis illi, quae praecedit in unctione chrismatis *in cerebro*, censenda est amplificatio unius formulae antiquissimae, invecta, quando coeperunt presbyteri chrismate linire neophytos, absentibus episcopis. Sed ad Ambrosianam traditionem rursus veniamus.

Distinctionem huius Sacramenti a Baptismate atque Eucharistica communione, licet uno eodemque tempore neophytis collati, alibi insinuat Ambrosius in tractatu *de Spiritu Sancto* (l. I, n. 71). « Numquid in aqua signamur. sicut « in Spiritu? In ipso enim vivimus, et ipse est pignus haereditatis nostrae, « sicut et apostolus scribens ad Ephesios ait: *In quo credentes* (per baptismum) « *signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae.* « Sancto igitur Spiritu signati sumus, non natura, sed a Deo, quia scriptum est: « *Qui unxit nos Deus, et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritum in cordibus « nostris.* Signati ergo Spiritu a Deo sumus. Sicut enim in Christo morimur, « ut renascamur *(en baptismus)*; ita etiam Spiritu signamur, ut splendorem « atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus: quod est utique spiritale « signaculum (*en confirmatio*). Nam etsi specie signemur in corpore, veritate

sacramento locuti intelligendi sunt) hoc loco profecto indicanda erat.

Sed ne alia monumenta, quae hoc sacramentum respiciunt, ignorentur, haec ex *Sormani, La gloria dei santi milanesi,* addere lubet:

Ex Constitut. Legatorum Apostol. dat. kal. aug. an. 1067. « Illud autem quod speciali devotione est dignum inviola-« bili constitutione iudicamus in perpetuum firmum: ut huius « gloriosae sedis antistes, qui nunc est, vel quicumque dein-« ceps fuerit, semel aut bis si posse fuerit, ipse per omnes « plebes, quicumque eas teneat, *ad consignandum* et chri-« stianitatem secundum canones perquirendum vadat.... »

Ex charta saec. XII cui tit.: *Sanctiones pro instauranda cleri disciplina:* « Ad dandam christianitatem parvulis, et ad « baptismum non admittantur nisi tres personae (ut compa-« tres aut commatres) ad chrisma unus admittatur tantum. »

Hucusque relata clare ostendunt nullam adesse incongruentiam quod episcopi nostri Pontificale universae Latinae ecclesiae idest Romanum nunc teneant, quod, licet auctoritate Romanorum Pontificum auctum et in meliorem formam redactum, tamen nostrae Ecclesiae traditioni semper cohaeret: Archiepiscopi enim nostri libenter in pontificalibus Romanae Ecclesiae exemplum semper sunt sequuti, ut testatur nedum praxis S. Caroli Borromei et Archiepiscoporum Mediolanen-

« tamen in corde signamur: ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cae-« lestis effigiem. » Ut apparet locus S. Ambrosii commendat interpretationem quam omnes fere interpretes exhibent de verbis Apostoli (II, Cor. I, 21) superallatis: cf. loca parallela, *De Helia et jejun.* c. X, n. 36; et in *Serm. III,* n. 9, e cod. Sessoriano (in ed. Ballerini Opp. S. Ambr. t. V, col. 215 et seq.)

Hoc signum qua in corporis parte sit factum idem Ambrosius (*De Interpellatione Job et David,* l. II, c. VII, n. 27) docet: « Signum suum posuit « Christus *in frontibus* singulorum. »

Landulphus senior, (an. 1100) *Hist. Mediol.* l. I, c. IX, ubi de baptismate S. Augustini, veterem consuetudinem ecclesiae Mediolanensis insinuat, his verbis: « Sic in fontibus, qui B. Joannis adscribuntur, Deo opitulante, a « B. Ambrosio, cunctis fidelibus hujus urbis adstantibus et videntibus, (*Augu-« stinus*) in nomine Sanctae et Individuae Trinitatis baptizatus et confir-« matus est. »

sium post eum, sed etiam *Pontificale Archiepiscopi Antonii de Salutiis* (1380-1401), nunc in Archivio Metropolitano *sign. 19* (olim Q. 930), quod cum coaevis Pontificalibus Romanis melioris notae concordat *). Igitur Mediolanensium Antistitum reverentia erga Romanam Sedem hac etiam ratione probatur quam, ex diversitate in Ordine psallendi et celebrandi, aliqui in dubium vocarunt; dum haec potius eiusdem Matris Ecclesiae liberalitatem erga filiam testatam facit.

DESCRIPTIO CODICIS METROPOLITANI SAEC. IX.

Codex, quem litera *A* designamus, a quo *Pontificali in usum Mediolanensis ecclesiae* deprompsimus, in Bibliotheca Metropolitani Capituli Mediolani ab immemorabili servatur, sign. † *14.*, membranaceus, fol. 131 formae minoris (0,265 × 0,20) plenis lineis ampla scriptura una manu saec. IX, uti in specimine initio huius voluminis inserto, est exaratus, exceptis decem foliis additis ad calcem, diversis manibus conscriptis, uti suis locis indicabo; est tamen acephalus, cum initio avulsae sint tres paginae. Literae initiales titulique sunt rubricati, charactere aliquando capitali rustico, aliquando unciali majusculo. In omnibus forma caracterum similis apparet scripturae evangeliarii ecclesiae Metropolitanae me-

*) Non incongruum erit hic referre duas notas posterioris manus in hoc codice exaratas.

f. 1. « Sum ecclesie Mediolanen.
Pontificale, quod fuerat bo. me. quondam Dni Antonij de Salutiis Archiepiscopi relictum ipsi Ecclesie cum aliis multis libris iuris et sacre pagine. »

ult. fol. « Anno Dni MCCCLXXXV die XIX martii.
Reverendus in Xpo pater et Dominus Anthonius Dei gratia sacrosancte Mediolanen. ecclesie archiepiscopus consecrauit ecclesiam sce Marie de la scala cui dos eodem die fuit assignata de mandato excelsi dni dni Barnabovis Vicecomitis eiusdem ecclesie patroni, et benedixit cymiterium, atrium uidelicet quod est ante portam dicte ecclesie et claustrum in circuitu eiusdem. » — Hanc notam forte ignoraverunt *Giulini, Continuazione delle Memorie di Milano*, (an. 1385) par. II, p. 375, et alii, qui dedicationem huius ecclesiae reticent.

diolanensis, saec. item IX, olim in eadem Bibliotheca Metropolitana, nunc vero iure emptionis in Bibliothecam Ambrosianam translati.

Tituli et rubricae capitales rusticae, et passim litera *a* uncialis minuscula occurrens non raro in rubricis nigris, et aliquando in textu orationum, antiquitatem codici nostro vindicant.

Codicem ma. saec. XIII, inscribitur extrinsecus ut *Liber orationum Sancti Ambrosii:* verius ma. saec. XVI designatur:

« Caerimoniale in quo sunt multae orationes et bene-
« dictiones Metropolitanae » et alibi:

« Pontificale Metropolitanae, conscriptum circa tempora
« Caroli Magni Imperatoris. v. fo. 86 » *(sic)*, id argumentando ex oratione inibi inscripta: « Exaudi, Domine, preces
« nostras, et famulum tuum N ad regendum francorum im-
« perium constitue.... »

Licet acephalus ex fragmentis secundi folii alia manu, nempe saec. XI, exaratis, facile deprehendi potest in ritu consecrationis ecclesiarum, qui primam codicis partem tenet, duas tantum paginas supplendas esse; quod suo loco validis argumentis, ut credo, perficiam.

Sed ne quid desiderari patiar, ipsorum fragmentorum literae fideliter hoc loco exhibebo:

fol. II. ministraturi....
ut tu interius e....
ibique soli Deo....
fol. II.' ....pse perficere concedas et nunc
.... orum. Amen.

Cum ex indice in calce codicis, quem ipsa ma. saec. XIII addidit, quae foliorum numerationem antiquam instituit, constet quod *fol. I*, incipiat « In primis offitium consecrationis « ecclesiarum et altarium » crederem additiones saec. XI a *fol. I* ad *fol. III*, fuisse nonnisi orationes praeparationis ad

ritum dedicationis; uti similes leguntur in cod. Moguntino saec. IX-X, infra descripti, et in Ordinibus editis a Martene: ipsae voces quae in fragmentis leguntur non officiunt huic sententiae; sed, cum in casu agatur de additionibus posterioribus, sufficiet ex codicibus coaevis restituere duas paginas folii tertii.

His praenotatis paucis verbis rationem huius editionis exponam.

Consilio peritorum opportunam minime duxi editionem diplomaticam, ut vocant; non id exigit neque antiquitas codicis, neque contextus; tamen in dubiis, non contentus meo iudicio, vel in notis indicabo quomodo codex se habeat, vel fideliter eundem reproducens, uti in similibus fit, addam vocem: *sic*.

In reliquis ortographiam communiter acceptam sequutus sum, cum parum ad rem nostram iuverit adamussim reddere formas erroneas proprias amanuensium illorum saeculorum.

Modo recensionem aliorum codicum, adhibitorum in subsidium pro notis, breviter expediam, ita tamen ut eorundem synopsim habeat lector.

DE ALTERO CODICE METROPOLITANO SAEC. XI.

Alterum Pontificale Mediolanense sed mutilum habemus in codice saec. XI, qui sicuti Codex *A* est iuris Ecclesiae Metropolitanae, olim signatus: *H. 9*, et recentiori catalogo sign. *n. 21*. In huius editionis collationibus indicatur litera capitali *B*.

Mutilus initio et ad finem, constat foliis 128 formae minoris (0,205 × 0,310) plenis lineis, ampla scriptura saec. XI, titulis et literis capitalibus rubricatis; nonnullis etiam literis initialibus depictis ornamentis et variis coloribus. Folia distributa sunt per quaterniones, uti constat ex numero descripto in calce a tergo ultimi folii: ex hac numeratione primae manus, apparet folia codicis, licet antiquissime com-

paginata, non esse distributa iuxta primum ordinem; nempe, quaternio primus a folio nunc signato num. 24, sive a *Benedict. linteaminum* incipere debet: unde si folia ordinarentur, hoc esset initium codicis, reliquis foliis usque ad fol. 127′ dispositis sine ulla lacuna. Sed a quaternione XIII (fol. 127′) usque ad quaternionem XXII exclusive, (qui primus in codice *B* est assutus) desiderantur octo quaterniones, nempe folia 64, quibus deinde, si adessent, succederent folia 23 initio codicis posita; ita ut codici finem poneret *Missa in consecratione ecclesiae,* fol. 18-23.′

Haec non praetereunter notavi, quod maximi est momenti, quia ex hac distributione partium liquet saec. XI etiam apud nos *benedictiones linteaminum, patenae, calicis, campanarum,* etc. a ritu dedicationis ecclesiae iam abstractas fuisse, dum in *A*, saec. IX, unum idemque ritum cum ecclesiae dedicatione constituebant.

Ex sequenti analytica descriptione codicis constabit quae diversa in *A*, vel eidem addenda sint.

Codex *B*, utpote mutilus et tumultuarie, ut iam dixi, compactus, incipit ab ultimis rubricis officii Feriae V in coena Domini iisdem verbis *Beroldi novi;* unde ambrosianum hoc Pontificale se exhibet sine ulla controversia: itaque codex sic incipit:

(f. 1). « *secundum morem; postea vadat post altare et dicat:* Dominus vobiscum. *Sequitur ant. in* Magnificat: Illi patri familias; *et sic vesperum compleatur.*

Et pontifex vadat in sacrarium; ibi praecipiat subdiaconibus ut diligenter custodiant Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini. Similiter autem praecipiat duobus notariis, ut chrisma et oleum cum magna cautela distribuant. Finit. Deo gratias (sic).′

Oratio post mandatum: Adesto, Domine, etc. » (per extensum, fere ut in edit. Missal. Ambr.)

2. (f. 2). *Benedictio super capsellas et fustes.*

Hanc, vix mutata vocula, habes apud *Gerbert, Monum. vet. lit. alem.*, III, 111 (cfr. *Martene, de ant eccl. rit.*, II, c. 23).

3. (f. 5'). « *Benedictio panis:* Benedic, Domine, creaturam istam, etc. » (ut in A.)

4. (f. 6). Sequuntur duae formulae excommunicationis: prima, contra ecclesiarum violatores, (referta maledictis, quae a charitate Christi plane dissentit, cuiusmodi exemplum et pene verba habes in *Gerbert,* l. c. p. 117) inscribitur sic: « *Excommunicatio III, ex concilio turonico VI.* »; haec eandem originem sapit quam illa edita a Gerb.: altera, quam authenticam duco, sic se habet:

« *Excommunicatur IIII, VII. Ex concilio arausico, c. V.*

« Canonica instituta et sanctorum patrum exempla se-
« quentes, ecclesiarum Dei violatores ill., auctoritate Dei et
« iudicio Spiritus sancti, a gremio matris Ecclesiae, et a con-
« sortio totius christianitatis eliminamus quousque resipi-
« scant, et ecclesiae Dei satisfaciant. »

5. (f. 8'). « *Reconciliatio excommunicati.* »

Eadem reperitur apud Gerb., l. c. 116, sed in fine tertiam post duas editas a Gerb., addit orationem: tres igitur leguntur orationes hoc ordine:

« 1. Praesta, quaesumus, etc. 2. Majestatem tuam, quae-
« sumus, etc. 3. Deus misericors, Deus clemens etc. » (ut in Pont. Rom., *Ordo excommunic. et absol.*)

6. (f. 13). « *Exorcismus S. Ambrosii:* Omnipotens Do-
« mine, Verbum Dei Patris, etc. » qui adhuc servatur, vix voce mutata, in editis *Ritualibus Ambros.* tit. *De exorcizandis* etc.

7. (f. 18). « *Missa in consecratione ecclesiae* » cuius epistola, evangelium, orationes et praefatio eaedem sunt, quae in editis Missalibus Ambros. recurrunt in Missa Dominicae III Octobris.

Quae huc usque recensita sunt, amandanda forent, interiecta tamen lacuna fol. 64, ad finem codicis iuxta computum in superiori descriptione factum; et proinde quae sequuntur primam huius codicis partem constituunt.

8. (f. 24). « *Benedictio linteaminum:* Domine Deus om-
« nipotens, sicut ab initio, etc., » (*ut in* A, *usque ad verba:* in usum altaris tui).

9. (f. 24'). « *Benedictio corporalis:* Omnipotens sempi-
« terne Deus, benedic linteamen istud ad tegendum invol-
« vendumque, etc. » (in *A* haec benedictio est secunda pars orationis praecedentis).

10. (f. 25). *Ad patenam consecrandam.*

« Oremus, fratres karissimi, ut divinae gratiae bene-
« dictio consecret † et sanctificet hanc patenam, ad conficien-
« dum in ea corpus Domini nostri Jesu Christi, qui crucis
« passionem sustinuit pro salute omnium nostrorum. Qui
« cum Patre et Spiritu sancto vivit.

« *Inde faciat signum crucis de oleo sancto super pa-*
« *tenam dicens:* Consecrare et sanctificare, etc. » ut in A.

11. (f. 25). « *Ad calicem consecrandum:* Oremus dile-
« ctissimi, etc. *Benedictio calicis:* Dignare, Domine, etc. » ut in A paucis vocibus mutatis.

12. (f. 26'). « *Benedictio ad vestimenta sacerdotalia*
« *seu levitica atque sequentis Ordinis ministrantium bene-*
« *dicenda.*

« Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen fa-
« mulum tuum pontificalia, etc. (Mur. II, 501).

« *Alia oratio.* Domine Deus, omnipotens Pater, rex et
« magnificus triumphator, etc.

Benedictio ad stolas vel planetas, quando levitae seu pre-sbyteri ordinandi sunt:

« Deus invictae virtutis auctor etc (Mur. II, 501). »

Tres orationes superindicatae apud *Martene de rit. Sacr. Ordinis* in ordine II Egberti Eboracensis inveniuntur; eaedemque, tertia excepta, extant in Gerbert, l. c. p. 55.

13. (f. 36). Ordo qui sequitur, licet fere conveniat cum ordinibus III et IV editis a *Martene*, et alio edito ex cod. Vindob. a *Gerbert*, 63, tamen summatim hoc loco datur, ut cum illis comparetur.

« *Reconciliatio violatae Ecclesiae.* »

« *Primum veniat episcopus ante ipsam ecclesiam, et dicat hanc orationem:*

Omnipotens et misericors Deus, qui sacerdotibus. *)

Aufer a nobis, quaesumus, etc.

Tunc intret in ecclesiam cum clero et letaniis; postea dicat orationem: Deus, qui peccati veteris, etc.

Et hoc facto benedicat aquam et sal cum vino et cinere mixtam: et circueat (sic) *intrinsecus ecclesiam spargendo et cantando hanc antiphonam:* Asperges me, Domine, hyssopo; *et lavando ac purificando loca contaminata, dicat hanc orationem:* Deum indultorem criminum, etc.

Dominus vobiscum, Et cum spiritu tuo.

Sursum corda, Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est.

VD. Aeterne Deus. Cuius bonitas ut non habuit initium, ita nec terminum habet, etc.

Tunc cantet antiph.: Exurgat Deus. ℣ Et fugiant a facie.

Oratio: Deus, qui in omni loco dominationis.

Ant. Confirma hoc, Deus. ℣ Narrabo nomen tuum fratribus meis. *Al.* (*sic*) Gloria Patri.

Tunc dicat hanc orationem: Deus, qui ecclesiam tuam de mundi finibus, etc. »

15. (f. 36′). « *Ordo ad signum ecclesiae benedicendum.* » ut in *A*, in quo tamen haec benedictio ponitur in ipsa Consecratione ecclesiae, a quo ritu deinceps est separata.

16. (f. 43). « *Ad crucem consecrandam.* »

Ordo huius benedictionis est fere idem atque in *A*; sed cum prima oratio desideretur, alia praefationis instar sit aptata, una in fine adjiciatur, summatim totus exhibetur, remittendo lectorem ad notas in commentario cod. *A*.

---

*) In *B* legitur tantummodo initium huius orationis, quam integram ponunt alii codices.

« *Praefatio* *) *ad crucem consecrandam:* Rogamus te, Domine, etc. (ut in A.)

Dicat excelsa voce: Dominus vobiscum, Et cum spiritu tuo.

Sursum corda. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et iustum est.

Praefatio: Aeterne Deus. Cuius sanctum et terribile nomen videre ....mereamur. per eundem. (*ut in A.*)

Alia benedictio: Benedic, Domine, hanc crucem, etc. » B unam orationem conflavit ex duabus gregorianis editis a a Muratorio, nempe: *Benedic*, etc. (502) et *Sanctifica.* (504).

17. (f. 48). « *Ad capillos benedicendum:*

« Domine salvator, innocentiae amator, etc. » (ut in edit. *Ritual Ambros.*)

18. (fol. 49). « *Incipiunt benedictiones Episcopales,* » quae numerum 67 attingunt: nonnullae conveniunt cum editis a Menard, Muratorio et Gerbert: ex earum praesentia in codice nostro ad usum Archiepiscopi exarato, nullum dubium rationabiliter moveri potest de earum usu in Ecclesia nostra; imo ex *Ordine Coronationis Mediolanensis,* edito a *Muratorio, Martene,* et prostremo in *Monument. German. Histor., Leg.,* t. II, p. 503 et seq., constat easdem benedictiones Archiepiscopum legere consuevisse post embolismum, sed ante communionem; etenim inter *praefationem* et *orationem post communionem* ponitur *Benedictio archipraesulis* propria Missae coronationis Imperatoris.

19. (f. 103). « *Incipit Ordo qualiter rex ordinari debet.* »

20. (f. 145). « *Ordo ad reginam consecrandam* » (mutilus in fine).

Utrumque ordinem in *Appendice* ad cod. *A*, editum invenies cum alio simili ex codice Basilicae Ambrosianae saec. XV excerpto: ita ut collatis inter se hisce Ordinibus,

*) Non accipias hanc vocem communi sensu, sed, ut dixi (p. xx), intellige *orationem*, quae praecedit *benedictionem* vel *consecrationem*.

et cum alio saec. XIV, quem supra memorabam primum editum a Muratorio, exurgat traditio ambrosiana quoad hunc ritum, qui inter praerogativas Antistitis nostri, et profecto magni momenti, semper est habitus.

Cum desint, ut iam notavi plusquam sexaginta folia, dolendum deperdita fuisse tot pretiosa documenta liturgiae nostrae, quin ulla extet spes eadem recuperandi.

DE PONTIFICALI SAEC. IX-X OLIM ECCLESIAE MOGUNTINAE.

Non semel, sub signo *C*, hunc codicem in collationibus notabo: licet inter liturgicos codices Mediolanenses proprie dictos recensendus non sit, quamvis in pluteis metropolitanis servetur, eundem praeterire non ausim, quia peritorum iudicio ex caracteribus saec. IX-X antiquissimum se exhibet. Membranaceus, foliorum 203, formae med. (0,215 × 0,30) una manu plenis lineis est exaratus, titulis literisque rubricatis, et multis, ut dicunt, rubricis; non semel occurrunt neumata musicae ut in ritu dedicationis ecclesiae fol. 13, et passim foll. 38′, 72′.

Ecclesiae Moguntinae fuisse constat ex ritu Ordinationis Episcopi; ibi enim, in examine, fol. 92′, legitur: « Vis sanctae Mogontiensi ecclesiae, mihi et successoribus « meis fidem et subiectionem exhibere? Volo. » .

Ex additionibus manuum teutonicarum, f. 152 saec. XII-XIII, f. 199′-202 saec. XII, f. 202′, saec. XIII, apparet adhuc ea tempestate hoc Pontificale servatum fuisse in transalpinis regionibus; quomodo autem ad Capitulum Metropolitanum Mediolanense devenerit non constat: additiones ma. saec. XIV-XV in foll. 81′, 82, 86′ et 123 innuunt per ea tempora iam in Italia codicem servatum; nec temere assererem, ipsum ad Ecclesiam nostram pervenire potuisse in aliquo Imperatorum itinere, quod non sine praelatorum co-

mitatu tunc fiebat; ita ut ea occasione Episcopus aliquis codicem vel sponte donaret vel ex oblivione reliquisse. Quidquid sit, suamet aetate hoc Pontificale commendatur, et idem adhibendum curavi ne, ut hucusque factum est, amplius ignoretur antiquissimus hic codex, cuius indicem analyticum statim subiicio.

1. Ordo ad benedicendam ecclesiam (f. 1).

2. *Ordo in purificatione S. Mariae* (f. 29).

In hoc ordine (f, 32) refertur translatio *archae*, ritus similis translationi imaginis B. M. V., *Idea* appellatae in *Beroldo* (meae edit. p. 81) et etiam commemoratae in apud *Mabillon, Musaeum Italicum* t. II, in Ordinibus Romanis, scilicet XI auct. Benedicto, n. 33, et XII auct. Cencio cap. V, n. 12.

3. Ordo in Dominica palmarum (f. 33).

4. *Reconciliatio poenitentium in coena Domini* (f. 38).

5. *Incipit Ordo in die caenae Domini* (f. 49) cum Oleorum consecratione juxta vulgatum Ordinem Romanum.

6. *Benedictio ignis in sabbato sancto* (f. 73).

7. *De Ordinibus conferendis* (f. 74).

Nonnullae additiones marginales, manu italica saec. XIV-XV, innuunt hunc codicem, si iam in ecclesia nostra ea tempestate servabatur, aliquando fuisse in usu liturgico ab Antistitibus nostris adhibitum; quod accipi potest, cum in pontificalibus, uti iam dixi, Archiepiscopi Romano Pontificali semper usi sint.

8. *Examinatio in Ordinatione Episcopi* (f. 91).
Ordinatio Episcopi (f. 95').

9. *Incipit Ordo ad regem benedicendum* (f. 103).

10. *Incipit benedictio reginae* (f. 119).

11. *Oratio quando Abbatissa ordinatur in monasterio* (f. 123.)

12. *Ad abbatem benedicendum* (f. 128').

13. *Missa pro Abbate* (f. 131').

14. *Benedictio vestimentorum Virginum et Viduarum* (f. 132').

15. *Consecratio sacrae Virginis* (f. 134).

16. *Benedictio viduae quae fuerit castitatem professa*, (f. 138).

17. *Benedictio corporalis* (f. 139).

18. *Ad patenam consecrandam* (f. 139').

19. *Praefatio calicis* (f. 139').

20. *Praefatio ad benedicendam crucem* (f. 140').

21. *Ad signum benedicendum ecclesiae* (f. 141').

22. *Oratio ad aquam igne ferventem vel ad ferrum calidum* (f. 145).

23. *Oratio ad capillaturam* (f. 146').

24. *Oratio ad clericum faciendum* (f. 147).

25. *Benedictio ad novas fruges* (f. 147').

26. *Benedictio ad omnia quae volueris* (ib.)

27. *Benedictio panis* (f. 148).

28. *Benedictio ad barbam tondendam* (148').

29. Maledictiones contra omnes « qui possessiones ser- « vorum sancti Martini et quidquid ad illos pertinent, tol- « lunt, et perperam invadunt. » (f. 149).

30. Duae orationes pro benedictione incensi (al. m. saec. XII-XIII.) (f. 152).

31. *Incipiunt episcopales benedictiones per totum anni circulum*, a f. 152 usque ad f. 199: hae benedictiones fere omnes conveniunt cum illis in Sacramentariis a Menard, Muratori, Gerbert, etc. editis.

A f. 199' usque ad finem posteriores manus saec. XIII addunt:

32. Tria Evangelia pro festo olivarum, ut credo.

33. *Benedictio navis*, qua explicit Pontificale Moguntinum.

DE ECCLESIAE DEDICATIONE TRACTATUS
e codice ambrosiano saec. XII, sign.: I, 152, inf.

In cod. Ambrosiano saec. XII, ex quo Beroldum edidi, fol. CLXXI prostat: « *De ecclesiae dedicatione tractatus* » qui, deficiente omni Pontificali Mediolanensi, unde constaret, revera ritus in ipso tractatu expositos Mediolani saec. XII fuisse servatos, alias in recensione critica eiusdem codicis asserui nullam ex ipso erui tunc posse notitiam qua ritus nostrates illustrentur. Recens inventio Pontificalis Mediolanensis saec. IX opportuna affuit, ut etiam ex hoc tractatu, mystico potius quam liturgico, aliquid delibarem quo nonnullos ritus in *A* obscuros illustrarem; nec officeret si eiusdem auctor foret unus ex notissimis auctoribus medii aevi, qui ut ea tempestate solebant, in mysticas et omnino arbitrarias expositiones vagabantur; nam eo ipso quod cum Pontificali ambrosiano convenit et in codice mediolanensi continetur ille tractatus, censendum est ea mystica expositione referri praxim caeremoniarum eiusdem aetatis. Quae autem ex hoc tractatu transcribenda sunt, ea in notis ad Ordinem Dedicationis suis locis cum signo *E* fideliter indicavi.

DE ALIIS CODICIBUS.

Non hoc loco dabo criticam recensionem codicum ex quibus excerpsi Ordines editos in *Appendice* ad *A:* suis locis in notis sufficienter indicabuntur mss., unde deprompsi illos Ordines, quos aptam sedem in Appendice huius editionis habere putabam. De aliis vero codicibus, qui in notis aliquando indicantur, alio tempore dabo diligentem descriptionem, cum omnium codicum Ambrosianae liturgiae criticam recensionem edidero, si tamen meae vires sinent, et benevola peritorum monita mihi non defuerint, quibus ampliorem segetem comparare valeam ad commune commodum et incrementum liturgicae scientiae.

CODICES ET EDITIONES

IN HOC OPERE ADHIBITI

CODD. MANUSCRIPTI.

A. Pontificale Mediolanensis Ecclesiae ms. saec. IX, Bibl. Capit. Metrop. Mediol.

B. Pontificale Mediolanen. Ecclesiae ms. saec. XI, Bibl. Capit. Metrop. Mediol.

C. Pontificale Moguntinae Ecclesiae ms. saec. IX–X, Bibl. Capit. Metrop. Mediol.

E. Tractatus de Ecclesiae Dedicatione, in ms. saec. XII, Bibl. Ambros. sign.: I, 152 inf.

T. Lectionarium Ambros. ms. saec. XI, Bibl. Ambros. sign.: T. 96 sup.

— Missale Ambrosianum saec. X, Archiep. Heriberti, Bibl. Capit. Metrop. Mediol.

— Apographus Missalis saec. IX, eccl. S. Alexandri in Columna, Bergomi, Bibl. Ambr. sign.: FS. IV, 15.

— Beroldus novus, ms. saec. XIII, Bibl. Capit. Metrop. Mediol.

— Rituale Ambros. saec. XV, Bibl. Capit. Metrop. Mediol.

— Ordo ad coronandos Regem et Reginam Italiae, ms. saec. XV, Bibl. Capit. S. Ambrosii Mediol.

— Missale Jo. Galeatii Vicecomitis, ms. saec. XV, Bibl. Capit. S. Ambrosii Mediol.

LIBRI EDITI.

Gel. — Sacramentarium Gelasianum:

a) juxta ed. Muratori *Liturgia Romana Vetus*, fol. Venetiis, 1748.

b) juxta ed. Wilson, 4to Oxford, 1894, adnotatis foliorum nunieris uncinis inclusis.

Gerb. — Gerbert. Monumenta Veteris Liturgiae Alemannicae 4to S. Blasii, 1777.

Leofr. — The Leofric Missal, edited by F. E. Warren 4to Oxford, 1883.

Leon. — Sacramentarium Leonianum, ed. Muratori L. R. V. cit.

Mabill. — Mabillon, Musaeum italic. 4to Lutetiae Parisior. 1784, t. II.

Mart. — Martene. *De Antiquis Ecclesiae Ritibus*, ed. Antuerpiae, 1736.

Men. — Sacramentarium Gregorianum ed. a Menard; juxta editionem Maurinam Opp. S. Gregorii.

Miss. Franc. — Missale Francorum, ed. Muratori. L. R. V. cit.

Mur. — Sacramentarium Gregorianum, ed. a Muratori. L. R. V. cit.

Ord. Rom. — Ordo Romanus de divinis officiis, ed. a Melch. Hittorpio; in *Bibl. Patrum:* fol. Parisiis MDCX.

Pam. — Sacramentarium Gregorianum, ed. a Pamelio, *Liturgicon Latinum*. Coloniae, 1609.

Sacr. Gall. — Sacramentarium Gallicanum, ed. Muratori L. R. V. cit.

PONTIFICALE

SAEC. IX

IN USUM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

PONTIFICALE

SAEC. IX

IN USUM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

[ORDO AD ECCLESIAM DEDICANDAM. 1)

Primitus enim, antequam Pontifex introeat in ecclesiam, illuminentur XII candelae per circuitum ecclesiae: et induant se vestimentis sacris.

Et cum venerint ad ostium ecclesiae, percutiat Pontifex

1) Licet codici nostro avulsae sint initio tres paginae, tamen, uti jam in superiori codicis descriptione notavi, duo prima folia, nempe quatuor primae paginae ad ritum dedicationis pertinere non poterant; et revera, superstes fragmentum secundi folii, tum in recto tum in verso exhibet textum orationum posterioris manus, quae proinde contextui sequentium foliorum 1. m. convenire non poterant: hinc supplendae erant duae tantum paginae, nempe tertii folii. Quod ut praestarem secutus sum Gregor. ed. a Menardo, adductus hac rubrica quae in *A* (fol. IX[1] et X) de aspersione ecclesiae et altaris legitur: *Et mittat* (episcopus) *ex ministris et clericis, qui extrinsecus ecclesiae parietes una vice, psallentes spargant.* Haec verba satis demonstrant nullam ante ingressum in ecclesiam peractam fuisse extrinsecus ecclesiae aspersionem, quemadmodum reperitur in vulgato *Ordine Romano*, in *Pontif. Egberti*, in Ord. ex cod. saec. IX ed. a Gerberto (Mon. Vet. Lit. Alem. p. II, p. 47 et seqq.) in Gregoriano apud *Menard.*, ubi ad locum parallelum cum cod. nostro legitur: *Emittit ex ministris aut clericis duos vel tres, qui extrin-*

ter superliminare de cambutta sua dicens ante portam antiphonam: Tollite portas principis vestri. *Et canant ipsum psalmum totum ante ostium.*

Et aperto ostio intrat Pontifex 1) *cum clero et populo dicens:* Pax huic domui. *Respondent omnes:*]

---

secus ecclesiae parietes una voce psallant, quam rubricam *Menard.* in nota 545 uti corruptam, ex cod. Remensi emendat: *qui extrinsecus ecclesiae parietes una voce psallentes spargant.* Adde quod *Ordo consecr. basil. novae*, editus a *Duchesne, Origines du Culte Chrétien*, fere nostro codici coaevus, eundem ordinem servat, sed textum orationum et praefationum reticet. His et aliis attente collatis, nonnisi Ordinem Gregorianum Menardi prae ceteris Ordinibus editis a Muratori et Martene, Ordini nostro convenire existimo; et cum exhibeat orationes et ritus communes codicibus nostro coaevis, primaeque institutionis indicium haud dubium praeseferat, ab ipso mutuatus sum quae desunt in A. Sed in ipso Ordine Menardi, circa finem, ut quaedam immutarentur suadebant tum ipsa versio psalmorum in Ecclesia nostra usitata, unde cum tractatu *de ecclesiae dedicatione* in cod. Ambros. *I, 152 inf.* scripsi: *Tollite portas principis vestri*, quae concordant etiam cum *Beroldo*, in mea editione p. 127: tum *Amen*, quod initio fol. IV, 1. ma. reperitur ante rubricam: *Deinde clerus laetaniam, et cum venerit Sacerdos ante altare...*; quare ex *Ordine Rom.* (p. 144) et ex Sacram. Gregoriano edito a Muratori (p. 471) supplevi « *Respondent omnes:* Amen. » Opportune venit illud *Amen*, quod primum testatur concordiam librorum ecclesiae Mediolanensis cum antiquissimis codicibus ecclesiae Romanae! Alias solemnitates ex aliis codicibus, et ex ipso Gregoriano edito a Muratori ex codice romano, addere non ausim, cum in reliquis codex noster se exhibeat veluti apographum antiquissimorum codicum, qui nota simplicitatis praestant: et, ut omnes norunt, non nisi processu temporis in Ordinibus solemnitates accreverunt, a quibus Ecclesia nostra, ut vel unus Canon Missae testari potest, semper abhorruit. (cfr. CERIANI: *Notitia Liturgiae Ambrosianae ante saec. XI medium, Mediolani, 1895.*)

1) Constat iam saec. XII Mediolani invaluisse ritum aspersionis exterioris partis ecclesiae, antequam eam episcopus ingrederetur; et proinde obsolevisse aspersionem quam faciebant duo vel tres ex ministris ab episcopo missis cum ipse intrinsecus parietes ecclesiae aspergeret (v. infra n. 13); ita *E*: « Primo « itaque aquam benedicimus cui sal admiscemus... istam aquam ad quamdam « baptismi imaginem girando ecclesiam ter aspergimus... interim autem in « circuitu dedicandae ecclesiae duodecim sunt accensa luminaria. Ad singulos « vero circuitus accedit pontifex ad ostium basilicae, clero et populo subse- « quente, et percutit superliminare virga pastorali, cantando antiphonam: « *Tollite portas principis vestri, et elevamini portae aeternales... (Diaconus)* « qui intus, ad admonitionem pontificis... interrogat: *Quis est iste rex glo- « riae...* Aperto vero ostio intrat pontifex cum clero et populo dicens ter: « *Pax huic domui.* »

1. Amen. *Deinde clerus laetaniam, et cum venerit Sacerdos ante altare prosternat se cum ministris super stramenta, usque dum dicit scola:* Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis. *)

2. *Ut autem surrexerint ab oratione, dicat pontifex excelsa voce:* Oremus, *et diaconus dicat:* Flectamus genua. *Postquam oraverit dicat*: Levate. *Et sequatur oratio ista:*

Magnificare, Domine Deus noster, in sanctis tuis, et hoc in templo aedificationis appare: ut qui omnia in filiis adoptionis operaris, ipse semper in tua haereditate lauderis. per Dominum.

3. *Deinde incipiat* *) *pontifex de sinistro angulo ab oriente scribens per pavimentum cum cambutta sua abcturium usque in dextrum angulum occidentalem. Incipiens iterum similiter de dextro angulo orientali abcturium scribat usque in sinistrum angulum occidentalem.*

4. *Deinde veniens ante altare dicat:* Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuvandum me festina, *cum* Gloria, *absque* Alleluia. *)

1. Amen: *hoc verbo incipit, ut iam notavi, codex noster acephalus.* — 9. aedificationis: tibi aedificato. C. — omnia: cuncta. C.

1. Ord. Rom. 144, Mur. 472, Men. 145, Gerb. 47. *) « Intrante « pontifice ecclesiam, clerus, sacerdos, et levitae prostrati in terram ad « Deum clamant pro sanctificatione ipsius domus » ita E, qui paulo post haec addit: « Surgens ex oratione (pontifex) nondum salutat po- « pulum dicendo *Dominus vobiscum*, sed tamen ad orationem cunctos « hortatur. »

2. Ord. Rom. 144, Mur. 472, Men. 145, Gerb. 47, Mart. Ord. I, II, III.

3. Ord. Rom. 144, Mur. 472, Men. 145, Gerb. 47, Mart. Ord. II, III. *) Fere ad verbum haec rubrica convenit E: « his completis incipit pon- « tifex de sinistro angulo ab oriente scribere per pavimentum al- « phabetum usque in dextrum angulum occidentis; atque a dextro « angulo orientis usque in sinistrum angulum occidentalem basilicae. »

4. Ord. Rom. 144, Mur. 473, Men. 146, Gerb. 47, Mart. Ord. II, III. *) « Dehinc pontifex ad altiora conscendit: constans ante altare... « dicit: *Deus in adiutorium meum intende* et cetera absque *Alle- « luja*... post haec vero benedicitur aqua commista sale et cinere »

5. *Inde benedicat sal et aquam cum cinere mixtam, et dicat:*

Exorcizo te creatura aquae in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jhesu Christi Filii eius Domini Dei nostri: ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare cum angelis suis apostaticis, per Dominum.

6. Alia Deus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto invocationibus nostris, et elemento multimodis purificationibus praeparato virtutem tuae benedictionis effunde: ut creatura mysterii tui tibi serviens ad abiiciendos daemones morbosque pellendos divinae gratiae sumat effectum: ut quicquid in domibus in locis fidelibus haec unda resparserit, careat inmundicia, liberetur a noxa. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens. Discedant omnes insidiae latentis inimici, et si quid est quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione huius aquae effugiat: ut salubritas per invocationem tui nominis expetita ab omnibus sit impugnationibus defensa. *Per.*

7. *Benedictio salis:* Exorcizo te creatura salis per Deum

1. *benedicat: suppl. 1. ma. sup. lin. in actu scriptionis.* — 7. per Dominum: Per virtutem D. N. I. C., qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum. C. — 10. elemento: elemento huic. C. — 11. effunde: infunde. C. — 12. mysterii tui: mysteriis tuis. C. — 13. sumat: *corr. ex* summat. — 14. in locis fidelibus: in, *bis in fine lin. praec. et init. seq.; C legit:* vel in locis fidelium. — resparserit: resperserit. C. — 15. noxa: *int.* x *et* a *abr.* i. — 18. aspersione: e *ult. corr. ex* i. — hujus: *2. ma. suppl.* h.

ita E. Adverte utriusque codicis verba « absque *alleluia* »; ex his constat, nisi aliunde suppeteret notitia ex Manualibus, non tamen saec. X antiquioribus, semper quotiescunque initio Horarum vel cuiuscumque actionis dicebatur *Deus in adjutorium* cum *Gloria*, statim, ut nunc, subdebatur *Alleluia*, etiam more Ambros.

5. Ord. Rom. 145, Mur. 468, Gerb. 65.

6. Ord. Rom. 145, Mur. 468, Gerb. 468, Mart. Ord. I, II, III.

7. Ord. Rom. 145, Men. 147, Mur. 467, Gerb. 65, Mart. Ord. II.

vivum, per Deum sanctum, per Deum totius creaturae, qui te per Haeliseum prophaetam in aquam mitti iussit ut sanaret steriles; qui per apostolum Paulum dicere dignatus est: sit cor vestrum sale conditum. Ideoque efficere sal exorcizatum ad evacuandum et expellendum inimicum, omnemque virtutem et putredinem eius. In nomine Domini nostri Jhesu Christi qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. *Respondent:* Amen.

8. *Et mittat sal cum cinere in aquam* *) *dicens:*

Exorcizo te creatura aquae per Deum verum, per Deum vivum, per Deum sanctum, ut efficiaris aqua sancta, aqua benedicta: ut ubicumque fusa fueris vel aspersa, sive in domo, sive in agro, effuges omnem fantasiam, omnem inimici potestatem, ut Spiritus sanctus habitet in domo hac. Per Dominum nostrum Jhesum Christum, qui venturus.

9. *Deinde ponat vinum in ipsam aquam dicens:*

Creator et conservator humani generis, dator gratiae spiritalis, largitor aeternae salutis, Tu, Domine, permitte Spiritum tuum sanctum super hoc vinum cum aqua mixtum, ut armatum virtute caelestis defensionis consecrationem huius

1. totius creaturae: *om.* C. — 2. sanaret steriles: sanaretur sterilitas aquae. C. — 3. Qui... per ignem: *C. legit ut in Pont. Rom.* — 12. fueris: fuerit. C. — 13. omnem inimici, etc.: omnemque potestatem inimici, praestante Domino nostro Jhesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit. C. — 18. largitor: atque largitor. C. — salutis... permitte: salutis mitte C. *cet. om.* — 20. armatum: *corr. ex* armata. — virtute caelestis defensionis: caelestis defensionis virtute. C. — consecrationem: ad consecrationem. C.

8. Ord. Rom. 145. *) Ad intelligentiam hujusmodi rubricae confert *Ord. Rom. l. c.* « Et miscet salem cum cinere, faciens inde crucem « super ipsam aquam » quae conveniunt cum nostro E, ubi: « ...aqua « vero benedicitur... sal cum cinere miscetur... fit crux ter super aquam « et salem et cinerem (forte dicendo: *per Deum verum, per Deum « vivum* etc.)... Huic misturae et vinum additur ».

9. Ord. Rom. 145, cfr. Ord. ex Sacr. d'Angoulème saec. VIII-IX apud *Duchesne, Origines du culte chrétien* pag. 465: in C, ut in Ord. Rom. et aliis haec orat. incipit: *Omnipotens sempiterne Deus creator*, etc. Gel. 610 (133), Miss. Franc. 677, Men. 148, Mur. 475, Mart. Ord. I, II.

ecclesiae, vel altaris concipiat. In nomine Domini nostri Jhesu Christi, qui venturus.

10. *Inde faciens crucem digito suo cum ipsa aqua in dextera... parte altaris per quatuor cornua. Inde ante altare cum hysopo adspergens altare in circuitu tribus vicibus* *) *canendo antiphonam istam:* Asperges me, Domine, hysopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor, *cum psalmo:* Miserere mei Deus.

11. *Tunc eat in circuitu ecclesiae per parietes spargendo, de dextra parte incipiens, usque dum veniens ante altare spargat iterum in circuitu ecclesiae antiphonam canendo:* Exsurgat Deus et dissipentur inimici eius, *cum ipso psalmo.*

12. *Iterum veniens ante altare spargat iterum in circuitu, antiphonam canendo:* Qui habitat in adiutorio, *cum ipso psalmo.*

13. *Et mittat ex ministris et clericis, qui extrinsecus ecclesiae parietes una vice, psallentes spargant.* *)

14. *Iterum pontifex eat de altare spargendo per medium ecclesiae in longum et in latum, crucem faciendo; et per*

1. concipiat: proficiat. C. — 3. *Inde* etc., E. clarius legit: « Post haec « contingit sacerdos digitum in aquam et facit crucem per quatuor cornua « altaris... » — 4. dextera: e 2.° *abras.* — 9. *Tunc eat,* etc.; fere ad verbum convenit E: « Circuit dehinc totam (ecclesiam) et aspergit parietes il- « lius... canitur autem interim psalmus: *Exurgat Deus* cum antiphona... « canitur etiam antiphona: *Qui habitat in adiutorio altissimi.* » — 18. *Iterum pontifex,* etc.: E. « Ipse pontifex debet... per mediam ecclesiam ince- « dere.... et cantare: *Domus mea, domus orationis vocabitur... Narrabo « nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae laudabo te.* »

10. Ord. Rom. 145, Gel. 610 (133), Men. 148, Mur. 476, Miss. Franc. 677, Mart. Ord. II, III. *) Saec. XII non tantum *tribus vicibus* sed *septies* altare aspergebatur; ita E: « Inde venit ante altare, et « aspergit illud septem vicibus... aspergit autem eadem aqua cum « hyssopo... circuit autem altare, spargendo eandem aquam. » cfr. Lev. IV, 17, 18.

11. Men. 148, Mur. 476.

12. Ord. Rom. 145, Mur. 476.

13. Ord. Rom. 145, Men. 148. *) Haec omittit E, ut supra notavi, cum haec aspersio exterior praescribatur jam facienda ab episcopo ante ingressum in basilicam.

14. Ord. Rom. 145, Men. 148, Mur. 476.

omne pavimentum spargendo cum antiphona cum versu: Domus mea domus orationis vocabitur.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiae laudabo te; *cum* Gloria Patri et Filio.

15. *Et veniens in medio ecclesiae dicat excelsa voce:*

Oremus. *Et diaconus ut supra:* Flectamus genua. *Postea dicat*: Levate. *Et dicat pontifex:*

Deus, qui loca nomini tuo dicata sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam: ut ab omnibus hic invocantibus te, auxilium tuae misericordiae sentiatur, per.

16. *Iterum dicat excelsa voce:*

Oremus. *Et diaconus ut supra.*

Deus sanctificationum, omnipotens dominator, cuius pietas sine fine sentitur: Deus qui caelestia simul et terrena complecteris, servans misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum gloriae tuae, exaudi preces servorum tuorum; ut sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte, hancque basilicam in honore sancti illius sacris mysteriis institutam clementissimus dedica, miseratus illustra, proprio splendore clarifica, omnemque hominem venientem adorare in hunc locum placatus admitte, propitius dignare respicere, et propter nomen tuum magnum et in manu forti et brachio excelso, in hoc habitaculo supplicantes libens protege, dignanter exaudi, aeterna defensione conserva: ut semper felices, semper tua religione laetantes, constanter in sanctae Trinitatis fide catholica perseverent. per Dominum. *)

15. complecteris: *corr. ex* conplecteris. — 18. in honore: in honorem victoriosissimae crucis, vel. C. — 21. hunc locum: *uterque* u *in rasura lit.* o. — 22. et in: et *r. ma. sed abras.* — in manu forti et brachio excelso: manum fortem, et brachium excelsum. C. — 25. semper tua: semperque in tua. C.

15. Ord. Rom. 145, Mur. 476, Gel. 609 (133), Men. 148, Mart. Ord. I, II, III.

16. Ord. Rom. 145, Mur. 477, Gel. 609 (133), Men. 149, Mart. Ord. I, II, III. *) Cum his et sequentibus convenit mystica expositio in E: « His peractis (aspersionibus) pontifex se ad orationem confert,

17. *Tunc eat ante altare canendo antiphonam istam*: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat iuventutem meam, *cum psalmo:* Judica me Deus.

18. *Tunc faciat maltam de calce et tegula cum aqua benedicta.* *)

19. *Et postea ipsam aquam quae remanet fundat ad basem altaris: et extergatur altare de linteo.*

20. *Postea offerat incensum, et mittat oleum super altare* *) *in medio, crucem faciens, et super quatuor cornua, antiphonam canendo:* Erexit Jacob lapidem in titulum fundenso leum desuper, *cum psalmo*: Quam dilecta tabernacula

l. basem: *corr. ex* base. — *et extergatur*, etc.: « extergitur altare « cum linteo » E. — de: e *inscriptum l. ma. in* i. — 8. *et mittat*, etc.: « Mittit pontifex oleum super altare, in medio altaris crucem ex eo « faciens: et super quatuor angulos altaris. » E.

« petens ut omnes, qui eandem domum orationis intraverint, exau- « ditos se gaudeant... Completa expiatione convertitur pontifex, inci- « piens antiphonam: *Introibo ad altare Dei*, cum psalmo, et fundit « quae remansit de aqua purificationis ad basem altaris. »

17. Ord. Rom. 145, Mur. 479, Gerb. 48, Men. 149, Mart. Ord. II, III.

18. Ord. Rom. ib. Mur. 479. *) Cum sit adhibenda aqua benedicta, facienda est malta antequam ipsa ad basem altaris effundatur; et compactio maltae non est differenda, ut in aliquibus Ordinibus legitur.

19. Ord. Rom. ib. Men. 149, Mur. 479, Ger. 48, Mart. Ord. II, III.

20. Ord. Rom. ib. Gerb. 48, Men. 149, Mur 482, Mart. Ord. II, III. *) Ex superiori rubrica, n. 10, cum nonnullis antiquioribus Pontificalibus, ut illo Egberti Eboracensis archiepiscopi, et ipso Sacram. Greg. (Men. 148) quatuor tantum sunt faciendae cruces cum aqua ad cornua altaris: hoc loco vero ex sacro oleo quinque praescribuntur, una in medio, quatuor ad cornua. Horum rituum earumque varietatum rationes doctioribus explicandas libenter relinquo; unum tamen notare non praetermitto, quod advertit etiam noster *Castilloneus, Mediolanen. antiquit.* p. 175 et seq., cum se vidisse testatur in hac urbe nostra nonnullas mensas altarium lapideas habentes in medio et in quatuor angulis foramina sive concavitates aliquando orbiculares, scrobulorum instar, aliquando quadratas; nempe alias consuevisse episcopos nostros, ut ceteros, in iis quinque partibus facere illas sacrosanctas unctiones (quare forte rubrica nostra dicit: *et mittat oleum*) ne paterent expositae cuiuscumque vel ipsorum ministrorum contactui

tua, Domine: *et ungat manu sua illud altare.* **) *Alius vero sacerdos faciat incensum in circuitu altaris.*

21. *Expleto psalmo mittat oleum sicut prius, canendo antiphonam:* Aedificavit Moyses altare Domino Deo, *cum psalmo:* Deus noster refugium et virtus.

22. *Et mittat chrisma super altare, canendo antiphonam istam:* Ecce odor filii Dei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, *cum psalmo:* Fundamenta eius *).

23. *Deinde in circuitu ecclesiae per parietes faciat cruces de chrisma in XII locis, dicens:* Sanctificetur hoc templum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

9. *Deinde*, etc.: « Consecrato altari duodecim cruces chrismantur in « parietibus. » ita E.

ac multo magis ne haereticorum manibus abradi possent (cfr. Optat. Milevit. lib. VI.) — **) Licet cod. E nullam antiphonam indicet pro unctione, autumo ex stylo mysticae expositionis ipsum summatim descripsisse quae ad unctionem altaris pertinent, sicuti indicant ipsa verba « mittit pontifex oleum super altare... », idemque paulo infra sic innuitur: « dehinc insignitur altare sacrosancti chrismatis unctione, « et interim cantatur antiphona: *Unxit te Deus tuus oleo laetitiae « prae consortibus tuis* » ex quibus colligitur antiquo Ordini novas accessisse antiphonas, quae concordant cum illis hodierni Romani Pontificalis.

21. Ord. Rom. 145.

22. Ord. Rom. ib. Men. 149, Mur. 483, Gerb. 28, Mart. Ord. II. *) Ex E, ubi legitur: « Dehinc insignitur altare sacrosancti chrismatis « unctione, et interim cantatur antiphona: *Unxit te Deus tuus oleo « laetitiae prae consortibus tuis,* » non satis apparet utrum chrismate in medio et quatuor angulis altaris fiant quinque cruces, an effundatur, ut legitur in hodiernis pontificalibus: quidquid sit, ex E utique constat saec. XII etiam ex nostro Pontificali antiphonam *Ecce odor*, et psalm. *Fundamenta*, recitata fuisse; sed aliud insuper asseri non potest, cum, uti iam notavi, in mysticis expositionibus plura summatim tantum referantur, uti in casu E noster, qui statim post unctionem crucis, ceteris praetermissis, subdit: « Peracta denique consecratione, « albis velaminibus cooperitur altare » quin verba faciat nec de Reliquiarum translatione, nec de benedictionibus linteaminum, etc., quas in A iam a saec. IX Mediolani peractas cognoscere possemus, nisi aliunde ipsius Patris nostri Ambrosii traditionem haberemus.

23. Ord. Rom. ib, Men. 149, Mur. 483, Gerb. 48, Mart. Ord. II.

24. *Inde faciens crucem incensi super altare, et dicat:* Oremus. *Et diaconus ut supra.*

Dei Patris omnipotentis misericordiam, dilectissimi fratres, deprecemur: ut hoc altare sacrificiis spiritalibus consecrandum, vocis nostrae exorante officio, praesenti benedictione sanctificet: ut in eo semper oblationes famulorum suorum studio suae devotionis impositas, benedicere et sanctificare dignetur: ut spiritali placatus incensu precanti familiae suae promptus auditor adsistat.

25. *Iterum dicat:* Oremus. *Et diaconus ut supra.*

Deus omnipotens, in cuius honorem altare hoc sub invocatione tui nominis consecramus, clemens et propitius preces nostrae humilitatis exaudi, et praesta; ut in hac mensa sint tibi libamina accepta, sint grata, sint pinguia, et Spiritus sancti tui semper rore perfusa: ut omni tempore in hoc loco supplicantis tibi familiae tuae anxietates releves, aegritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. per.

26. *Deinde dicant antiphonam istam:* Confirma hoc

3. dilectissimi... deprecemur: deprecemur, dilectissimi. C. — 4. hoc altare... consecrandum, *ma. posteriori supra lin. inscriptum plural.:* haec altaria... consecranda. — 5. exorante: exoratus. C. — 6. ut: et. C. — eo: *sup.* o *ma. posteriori* is *pro plurali.* — 8. precanti: i, *corr. ma. posteriori ex* ae. — 9. promptus: *corr. ex* promtus; o. *2 ma. inscriptum in* u. — adsisat: C *addit*: Per. — 11. Deus: Quaesumus omnipotens Deus. C. — altare: *supra* e *ma. posteriori* ia *pro plur. inscript.* — hoc, *ut videtur 1. ma., sed literis minutioribus suppletum in margine; et supra pro plurali:* aec *ma. poster.* — sub invocatione tui nominis: *omit.* C. — 13. hac mensa: *super utroque* a *ma. posterior add.* is *pro plur.* — 15. Spiritus sancti: sancti Spiritus. C. — 16. tibi: *om.* C.

24. Gel. 610 (134), Ord. Rom. 145, Gerb. 48, Mur. 483, Men. 149, Mart. Ord. I, III, Miss. Franc. 677,

25. Pam. 424, Gel. 611 (134), Ord. Rom. ib, Miss. Franc. 678, Mart. Ord. I, II, III, Men. 149, Mur. 484. Gerb. 48.

26. Ord. Rom. ib., Men. 150, Mur. 486, Gerb. 48, qui post *Gloria* statim subdit rubr.: « Deinde tenentes subdiaconus vel acoliti « linteamina vel omnia ornamenta ecclesiae seu vasa sacra quaecumque « ad cultum Dei ad ecclesiam pertinere debetur, benedicit Pontifex... » Mart. Ord. II. III.

Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo quod est in Hyerusalem. *adiungentes* Gloria Patri.

27. *Inde benedicat tabulas* *), *his verbis, super altare dicens:*

Singulare illud repropitiatorium, quod se in altare crucis nobis redimendis obtulit immolandum, cuius praefiguratione patriarcha Jacob lapidem unxit et erexit in titulum, quo fieret sacrificium, et portae caeli desuper aperiretur oraculum: suppliciter tibi, Domine, preces fundimus; ut metalli hujus expoliatam materiem supernis sacrificiis imbuendam, ipse suae dotare sanctificationis ubertate praecipiat, qui quondam lapideis legem scripsit in tabulis.

28. *Alia.* Deus omnipotens universarum rerum rationabilis artifex, qui creaturas forma lapidei metalli ad obsequium tui sacrificii condidisti, ut legis libaturi (sic) pararetur altari, annue dignanter huius institutor mysterii: ut quotquot hic oblatum sacrum fuerit, nomini tuo adsurgat, religioni proficiat, spei innitatur, fidei sit honore, per.

29. *Alia.* Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne

6. nobis: *ma rec. ante* nobis *add. in marg.:* pro. — 11. dotare: *sup.* do *ma. posteriori inscriptum:* di. — 14. forma: *ma. rec. substitut.* a *sup.* e. — forma lapidei metalli: formans lapideum metallum. C. — 15. libaturi: libationi. C. — pararetur: paretur. C. — 16. altari: altare. C. — hujus institutor mysterii: *omit.* C. — quotquot: quidquid. C. — 17. sacrum: sacratumque. C. — oblatum: *super* tum: *add. ma. rec.* ta *pro plur.; et sic deinceps ad voces:* sacr(*a*)um, fueri(*n*)t adsurga(*n*)t, proficia(*n*)t, immita(*n*)tur, si(*n*)t. — 18. sit honore: sit honori. C.

27. Ord. Rom. ib. Mart. Ord. I, II, III, et IX, Gerb. 50. *) Ipsa ant. *Confirma hoc Deus*, etc. quae praecedit, ostendit primam partem Dedicationis absolutam; nisi forte antiquitus hac ipsa antiphona totum ordinem absolutum fuisse: nam in aliquibus codicibus, uti in Turicen. saec. IX, *Gerb. II, 48*, quae sequuntur circa tabulas, non reperiuntur in ordine dedicationis, sed seorsim, veluti specialis *benedictio tabularum*, forsitan altarium viatoriorum; hinc concludendum quod Episcopus benedixisset tabulas, si adfuissent, alioquin, his omissis, omnia in usum ecclesiae, ut infra, (n. 31) ubi rursus ad rem nonnulla indicabo.

28. Ord. Rom. 146, Gerb. 50, Mart. Ord. I, II, III.

29. Ord. Rom. ib., Greg. 485, Gerb. 51, Mart. Ord. I.

Deus, clemens et propitius preces nostrae humilitatis exaudi, et respice ad hoc altaris tui holocaustum, quod non igne probatur, sed infusum sancti Spiritus tui gratia in odorem tuae suavitatis ascendat: ...ut accipientibus ac sumentibus nobis legitime permaneat, eucharistiamque erigat in visceribus nostris, et vitam concedat aeternam. per.

30. *Post* Amen *dicat excelsa voce:* Sursum corda. *Responsio:* Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. *Responsio:* Dignum et iustum est.

Vere *usque:* aeterne Deus. Qui post offendicula lapsus primi hominis instituisti tibi propiciatori deliniamenta libaminis, ut culpa quae praecesserat, futuris temporibus expiaretur per munera quibus honorarentur altaria, honorificaretur et templum. Quod tibi primus Noe praeparavit officio, rursus Abraham immolaturus filium, dehinc electus Jacob erexit, et unxit in titulum. Adsit redemptionis tuae ineffabilis pietas, et super hos lapides opem tuae benedictionis infunde; ut te largiente referat proemium, quisquis intulerit votum; qui angularem lapidem et saxum sine manibus excisum nominari ipse voluisti, tu lapides istos divinis cultibus apparatos benedic atque sanctifica, et sacri huius mysterii sicut institutor ita etiam sanctificator appare. per Christum. *)

2. hoc: hujus. C. — *Ut praeced. orat., ma. rec. add. super lin. final. pro plurali ad vocis:* altari(*um*)s, tu(*orum*)i, qu(*ae*)od. — igne: igne visibili. C. — 3. tui: *om.* C. — gratia: *ead. ma corr. in* gratiam. — 4. tuae: *om.* C. — ascendat: accendat. C. — *Ante* ut *rasura, sub qua apparet:* Per *1. ma.* — ut, etc.: C *legit:* et legitime se sumentibus Eucharistia medicabilis fiat, et ad vitam proficiat aeternam. Per Dominum. — 11. propiciatori: propitiatorii. C. — 14. Quod tibi... redemptionis tuae: Assit igitur misericordiae tuae. C. — 19. qui angularem... Per Christum; C *legit.*: Per eum qui se angularem lapidem et saxum sine manibus excisum nominari voluit, Dominum nostrum.

30. Ord. Rom. ib, Mart. Ord. I, Gerb. p. 51. *) *Ord. Rom.* l. c.: « Deinde tenentibus subdiaconis vel acolytis linteamina vel omnia « ornamenta ecclesiae, seu vasa sacra quaecumque ad cultum Dei et « ecclesiae pertinere videntur, benedicat ea pontifex, sicut in sacramen- « tario continetur. Ipsis completis, egrediatur Episcopus, et orationem « ante ostium: *Deus qui in omni loco*, etc. » ubi advertere oportet,

BENEDICTIO AD OMNIA IN USUM ECCLESIAE.

31. Dignare Deus omnipotens, rex regum, et dominus dominantium, sacerdos omnium, pontifex universorum, per quem una cum Patre sanctoque Spiritu facta sunt universa, Christe Jhesu, benedicere, consecrare, et sanctificare vasa haec cum his altaris linteaminibus, ceterisque vasis; *) et quemadmodum officia tabernaculi testimonii, olim cum archa oracula Cherubin clausa velis, columnas, candelabra, altare argenteis basibus, tabulis deauratis, holocaustis, hostiis, aereo altari cum aeneis vasis, tentoriis, funibus, oleo unctionis, et ceteris aliis in figuram nostri per manus sanctorum sanctificasti sacerdotum; ita nunc manens in aeternum summe Sacerdos sacerdotum, secundum ordinem Melchisedech, ut diximus, patenam hanc et calicem hunc, et omnia instrumenta altaris huius ecclesiae seu basilicae, quae inter nostras palmas habentur, corde precamur, ut benedicas, purifices, consecres, et consummes, quibus inter nos aeternam

1. USUM: *restitut.* M. *abr.* — 6. ceterisque vasis: *om.* C. — 8. oracula: oraculi, scilicet. C. — 9. argenteis... in figuram: C. *legit:* argenteas bases, tabulas deauratas, holocausta, hostias, aeneum altare cum vasis aeneis, tentoria, funes, oleum unctionis et cetera in figuram. — aereo: *corr. ex* hereo. — 11. nostri: nostri temporis. C. — 14. ut diximus: *om.* C. — 15. seu basilicae: *om.* C. — 16. corde precamur ut.: *om.* C. — 17. quibus etc.: *omit. C, qui concludit:* qui cum Patre.

Ordinem Rom. in hac parte jam ab antiquissimo differre (uti ab initio notavi) quo praescribebatur accessus ad tentorium vel locum in quo asservabantur Reliquiae. Ex citato loco *Ord. Rom.* insuper nobis constat, non omnes et singulas benedictiones infra positas peractas fuisse in omnibus dedicationibus ecclesiarum; sed hic scriptas reperiri ut episcopus modo unam, modo aliam vel plures, juxta opportunitatem, recitaret ante accessum ad locum *in quo reliquiae nocte cum vigiliis fuerunt*; (v. infra n. 49). Hae benedictiones, quae passim in sacramentariis reperiuntur extra Ordinem dedicationis basilicae, conferam cum benedictionibus editis passim in praecipuis sacramentariis.

31. Gel. 612 (135), Gerb. 48, Miss. Franc. 678, Mart. Ord. I, II, III. *) Quid circa hanc benedictionem sentiam non tacebo: ipse contextus orationis mihi videtur haud dubium signum quin initio haec una tantum adhiberetur benedictio AD OMNIA; ceteras sequiore aetate institutas fuisse crediderim.

unitatem in supremo meatu sine fine constare credimus, per Dominum.

BENEDICTIO LINTEAMINUM.

32. Domine Deus omnipotens, sicut ab initio hominibus utilia et necessaria creasti, et quemadmodum vestimenta pontificalia sacerdotibus et levitis ornamenta et linteamina fieri famulo tuo Moysi per quadraginta dies docuisti, sive etiam ea quae Maria texuit et fecit in usum ministerii tabernaculi foederis; sanctificare, benedicere et consecrare... digneris haec linteamina in usum altaris tui, ad tegendum, involvendumque corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jhesu Christi *) qui tecum vivit et regnat... in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

AD SIGNUM, ID EST COCIAM, BENEDICENDUM

33. Benedic, Domine, hanc aquam benedictione caelesti, et adsistat super eam virtus Spiritus sancti: ut cum hoc vasculum, ad invitandos filios ecclesiae praeparatum,

9. sanctificare, benedicere: sic sanctificare, benedicere ✠. B. — et consecrare: *post* consecrare *tres literae* abr.*: in B.* consecrareque. — 10. altaris tui: *reliq. in B. ponuntur sub speciali titulo:* « *Benedictio cor-* « *poralis.* Omnipotens sempiterne Deus, benedic linteamen istud ad te- « gendum etc. » *ut in A.* — 12. *post* regnat... *rasura.* — 14. COCIAM: *corr. ex* COCIA. — 15. Benedic: Benedic ✠. B.

32. Gel. 611 (134), Mur. 486, Gerb. 48, 54, Miss. Franc. 678, Mart. Ord. I, II, III. *) Ex A colligitur antiquitus eadem linteamina altaris, ad ipsum tactum sacrarum specierum adhibita fuisse: ex recentiori cod. B. saec. XI constat linteamina specialia adhibita pro ipsis sacris speciebus, unde *corporalia* vocata: prioris generis linteamen apud Beroldum (p. 47, l. 5) *pannum altaris* vocatur; corporale vero illud dicitur, quod diaconus ad orationem *super syndonem* (quo nomine antiquitus linteamen ad utrumque usum, ut patet ex A, vocabatur) explicabat super mensam; qui ritus etiam nunc viget (v. *Beroldus.* p. 182, et n. 88).

33. Gerb. 62, Mart. Ord. I, III. *) Ordinem benedicendi *signum*, quemadmodum et cetera linteamina, vasa, et reliqua destinata novae ecclesiae cujus dedicatio peragebatur, referunt, sicut et noster, alii codices rituales antiquissimi; uti videri potest apud *Martene, ad bened. seu dedic. basil.* Ord. I, III, VIII, necnon duo codd. Theodoricenses saec. VIII, IX, apud *Maurinos* in not. ad sacram. Gregor. et apud

in ea fuerit tinctum, ubicumque sonuerit eius tinnibulum, longe recedat virtus inimicorum, umbra fantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, laesio tornitruum, calamitas tempestatum, omnis spiritus procellarum: ut, cum clangorem illius audierint filii christianorum, crescat in eis devotionis augmentum; ut festinantes ad piae matris gremium, cantent tibi in ecclesia canticum novum in ecclesia sanctorum; deferentes in sono tubae praeconium, modolationem per psalterium, exultationem per organum, sua-

1. eius tinnibulum: hoc tintinnabulum, B. ejus tinnabulum C. — 3. tonitruum: tonitruorum, B. — 4. ut: et, B. — 6. matris: matris ecclesiae, B. — 7. in ecclesia canticum novum in ecclesias sanstorum, A *cum* C: in ecclesia sanctorum canticum novum, B. — 8. deferentes: differentes. C. — 9. per psalterium: psalterii, B. — per organum: organi, B.

Menard, qui in not. 587 ad sacram. Gregor., ex codd. Remensi (saec. VIII circa fin.) et Ratoldi abb. (saec. X) ordinem hujusmodi ita describit: « In codice igitur Remensi ita habetur: *Ad signum ecclesiae benedicendum:* Benedic, Domine, hanc aquam benedictione caelesti, etc. « In cod. Ratoldi: *Ad signum ecclesiae benedicendum. In primis intingue ter in aqua et laves in ea quae benedicenda est his verbis:* « Benedic, Domine, hanc aquam benedictione caelesti etc. ut in Ordine Romano (nempe Pontif. Rom. hodierno). — *Post haec cantabis psalmos sex, id est:* Lauda, anima mea, Dominum, *usque in finem psalterii. Interim laves eum de aqua* (benedicta, videlicet, ut praecipitur in cod. Remensi,) *cum oleo et sale; et dic:* Deus, qui per Moysen legiferum tubas argenteas fieri praecepisti etc., ut in Ordine Romano. — *Tunc extergis eum linteo, et dicas vers.:* Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas, *usque in finem psalmi. Post haec tangis eum de Chrismate septem vicibus foris, intus quaternis. Oratio:* Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam foederis etc. ut in Ordine Romano. (In cod. Remensi legitur in hunc modum: *Et dicis antiphonam cum capite* « Vox Domini etc.) — *Tunc pones incensum in acerna* (lege, *acerra* « id est, thuribulo) et myrrham; et faciat *fumum intus et extra; et cantes:* ℣. Viderunt te aquae, Deus, viderunt te aquae, *usque ad finem psalmi.* Omnipotens dominator Christe, cui (lege *quo*) secundum « assumtionem carnis dormiente in navi, etc. ut in Ordine Romano. « (In cod. Remensi, sic habetur: *Tunc imponis incensario et thymiamata « et myrram, et ergis cloccam, et dicis antiphonam:* Deus in sancto « via tua quis Deus magnus sicut Deus noster. ℣. Viderunt te aquae

vitatem per tympanum, iocunditatem per cymbalum; quatenus invitare valeant in templo sancto tuo, suis obsequiis et precibus, exercitum angelorum. Per.

34. *Hic canantur psalmi sex, idest a* Lauda anima mea, *usque ad finem psalterii: et dum cantatur lavas eam de aqua benedicta cum oleo et sale.*

1. per tympanum; tympani, B. — per cymbalum: cymbali, B. — 3. exercitum *corr. ex* exercitus. — 4. *Hic cantatur...* levitae: *Post hoc canas psalmos* VI: Lauda anima mea Dominum; *usque in finem psalterii: et dum cantas laves eam de aqua benedicta oleo et sale, et dicit hanc orationem:* Deus qui per Moysen legiferum tubas argenteas fieri praecepisti, quas dum levitae tempore sacrificii... *B.*

« Deus, *usque ad finem psalmi, et dicis collectam:* Omnipotens do-« minator Christe etc. Et haec de signi benedictione. — Clocca autem « cuius est in cod. Remensi mentio, signum est, nola, campana, gallice: « *cloche.* Ita docet Otholonus lib. 2. de vita S. Bonifacii episc. Mo-« guntini: *Interea signum ecclesiae quod vulgo appellari solet* Glocca « (lege, *Clocca*) *absque humano motu sonare coepit...* »

Hucusque Menard, ad quae pauca addere liceat: quod in Remen. cod. dicitur *clocca*, in nostro cod. dicitur *cocia;* quae parumper tantum ab hodierna vulgari mediolanensi voce *cioca*, per metatesin literae *i*, differt: ex hoc, et quibusdam aliis indiciis deducere fas est ms. nostrum Mediolani fuisse exaratum. Adverte insuper: quod ipsa rubrica cod. nostri, de verbo ad verbum conveniens cum illa antiquissimi cod. Remensis, indicat Ordinem hujus benedictionis ab unico et authentico exemplari fuisse derivatum, ut ipsa locorum dissitorum diversitas suadere videtur, in quo ipse lapsus amanuensis in oratione: *Omnipotens dominator Christe*, cui, (pro *quo*) legebatur: ipsum insuper Ordinem, cum nullum ejusdem vestigium in codd. Gelasianis reperiatur, censendum esse veluti Gregorianum, uti Menard ipse (l. c.) autumare sinit. Eundem Ordinem in benedictione signi habet aliud Pontificale acephalum ecclesiae nostrae Metropolitanae, *B*, sed ab Ordine Dedicationis ecclesiae omnino distinctum, ut in praefatione jam notavi: et codicis *A* collationem etiam cum hoc tertio, quoque instituimus.

34. Gerb. 62, Mart. Ord. I, III. *) Cum ad rubricam superioris orationis nulla fiat mentio de oleo et sale miscendis cum aqua, haec verba fortasse videbuntur obscura: sed praxim antiquam refert *Martene (De antiq. Eccl. rit.: de benedict. signorum, p. 830.)* ex Rituali Leodiensi an. 1553: « *Bened. aquae.* Benedic, Domine, aquam istam... « *Sacerdotes vel clerici dicant vel cantent hos psalmos:* Lauda anima « mea... *Et interim ponat consecrans sacrum oleum pollice seu virgula*

35. *Sequitur collecta* *):

Deus, qui per Moysen legiferum tubas argenteas fieri praecepisti, quas dum levitae tempore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus ad te adorandum fieret praeparatus; quarum clangore ornatus ad bellum, tela prosterneret adversantium, praesta, ut hoc vasculum tuae ecclesiae praeparatum sanctificetur a Spiritu sancto: ut per illius tactum fideles invitentur ad praemium; et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei, procul pellantur omnes insidiae inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum; temperentur infesta tonitrua; ventorum flabra fiant salubriter ac moderate suspensa; prosternat aerias potestates dextera tuae virtutis: ut hoc audientes tinnibulum, tremescant, et fugiant ante sanctae crucis vexillum, per.

36. *Dum extergis eam linteo, et dicit antiphonam cum capitulo:* Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas: *vers.* Vox Domini. *usque in finem.*

37. *Post haec tangis eam de chrismate a foris septies, ab intus quater; et dices collectam:*

2. Deus... tempore sacrificii: *super literas erasas ma. posteriori inscriptae variae voces sine sensu; eas supplevimus ex B.* — Moysen: beatum Moysen. C. — 3. *in:* clangerent: 2 e *ma. poster. corr. ex* i. — 5. quarum: quarumque. B. — ornatus: etiam hortatus. B. — 7. a Spiritu: a sanctificatore omnium Spiritu. B. — 10. omnes: e *inscriptus in* i *r. ma.* — 13. prosternat: prosternas. C. — 14. tinnibulum: tintinnabulum. B. C. — 15. ante sanctae crucis vexillum: ante crucis in eo depictum vexillum. B. — 16. *Dum extergis*, etc.: *Tunc exterges eam linteo, et dices antiphonam cum capitulo.* B. — 18. *vers.:* B. legit: *psalmus:* Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, *usque in finem psalmi.* — 20. et dices collectam: et dicas hanc orationem. B.

« *in aquam benedictam, in olio vase reservatam, ad modum crucis cum* « *sale. Et tum pollicem suum, si eo usus fuerit, bene fricando detergat* « *cum sale super aquam in qua est oleum sacrum. Et tunc lavet foris* « *et intus campanam . . .* »

35. Gerb. 62, Mart. Ord. I, III. *) Vox: *collecta*, quae hic et nn. seqq. occurrit, huius Ordinis auctorem diversum ostendit, uti iam supra dixi in nota ad n. 33.

36. Gerb. 62, Mart. Ord. I, III.

37. Gerb. 62, Mart. Ord. I, III.

38. Omnipotens sempiterne Deus, qui ante archam foederis per clangorem tubarum muros lapideos, quibus adversantium cingebatur exercitus, cadere fecisti; tu hoc tinnibulum caelesti benedictione perfunde: ut ante sonitum eius longius effugentur ignita iacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, laesio tempestatum; ut ad interrogationem propheticam: Quid est mare quod fugisti? suis montibus cum jordanica retro acta fluenta respondeant: A facie Domini mota est... terra, a facie Dei Jacob, qui convertit solidam petram in stagnum aquae, et rupem in fontes aquarum. Non ergo nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, super misericordiam tuam: ut cum praesens vasculum, sicut reliqua altaris vasa, sacro chrismate tangitur, quicumque ad sonitum eius convenerint, ab omnibus inimici temptationibus liberi, semper fidei catholicae documenta sectentur, per.

39. *Tunc imponis incensario ignem et timiamata et mirram, et erigis clocam super incensarium, ut totum illum fumum colligat, et dicit antiphonam:*

Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster. *Vers.* Viderunt te aquae, Deus; *usque ad finem psalmus.*

3. adversantium: adversantium tibi. B. — 4. tinnibulum: tintinnabulum. B. C. — 5. effugentur: effugantur. C. — 7. mare: tibi mare. C. — 9. montibus: motibus. B. C. — cum Jordinica... fluenta: cum Jordanicis... fluentis. B. — 9. mota: commota. C. — *post* est *rasura*. — 10. solidam: *om.* B. — aquae: aquarum. B. — 11. Non ergo nobis, Domine, non nobis: Non ergo, Domine, nobis. B. — 12. misericordiam tuam: misericordia tua. B; misericordia tua et veritate tua. C. — ut cum: ut. C. — 14. tangitur: i *efformatus ex rasura duarum literarum, forte* on. *1. ma.; BC add.:* oleo sancto unguitur. — 17. *Tunc... psalmus: Tunc imponas ignem in incensario, et thimiama, et thus et mirram, et eriges coccleam super incensarium ut totum illius incensum colligat; et dices hanc antiphonam:* Viderunt te aquae, Deus. ℣. Deus in sancto: *usque in finem psalmi. Sequitur oratio. B.*

38. Gerb. 63, Mart. Ord. I, III.
39. Gerb. 63, Mart. Ord. I, III.

40. *Collecta:* Omnipotens dominator Christe, quo secundum adsumptionem carnis dormiente in navi, dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato imperante dissolvitur: tu necessitatibus populi tui benignus succurre; tu hoc tinnibulum sancti Spiritus rore perfunde, ut ante sonitum illius semper fugeat inimicus; invitetur ad fidem populus christianus; hostilis terreatur exercitus; confortetur in Domino per eum populus evocatus, atque davitica cythara delectatus desuper descendat Spiritus sanctus: atque ut Samuhele crinigero agnum mactante in holocaustum, Rex aeterni imperii, fragore aurarum, turbam reppulit adversantem; ita dum huius vasculi sonitus transit per nubila, ecclesiae conventum munere servet angelico; fruges credentium, mentes et corpora salvet protectio sempiterna, per Dominum.

AD CONSECRANDAM PATENAM.

41. Consecramus et sanctificamus hanc patenam ad conficiendum in ea corpus Domini nostri Jhesu Christi pa-

1. quo: *ma. posteriori correct. ex* cui: *in* B: qui, C: cui. — 2. dormienti: *ma. poster. corr.* dormiente. — oborta: aborta. C. — 3. mare: maria. B C. — conturbasset: n *supplevit 1. ma. supra lin. in actu scriptionis.* — 4. dissolvitur: dissolvit. B C. — 5. tinnibulum: tintinnabulum. B C. — 6. fugeat: fugiat. B. — 7. exercitus: *om.* B. — 8. eum: illud. B. — atque davitica cythara: atque sicut super daviticam cytharam. B C. — 10. Samuhele: *2. ma. dub: in* B C Samuhel. — crinigero: o *ma. dub. in ras.;* C: crinigerum. — mactante: *corr. ex:* mactantem. — holocaustum: *sup. ult.* o *ma. dub.* um; B: holocaustum, C: holocausto tuo. — Rex... adversantem: tuo, rex aeterne, imperio, fragor aurarum turbam reppulit adversantium, B: rex aeterni imperii, fragor aurarum turbam repulit adversantem. C. — 11. fragore: e *add. ma. dub.* — 12. dum: *om.* C. — sonitus: *1 ma. corr. ex* sonitum. — transit: transeat. C. — 13. munere: re *ma. dub. in rasura: in* B C manus. — angelico: o *1 ma. in rasura: in* B C. angelica. — 14. per Dominum: Per te Jhesu Christe, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen. B.; Qui vivis et regnas, etc. C. — 17. Consecramus... qui: *in B eadem alio ordine disposita, ut conveniant ordini seq. in calicis benedictione:* Oremus, fratres charissimi, ut divinae gratiae

40. Gerb. 63, Mart. Ord. I, III.

41. Gel. 611 (134), Gerb. 50, Men. 151, Pam. 425, Miss. Franc. 678, Mart. Ord. I, II, III.

cientis crucem pro salute nostra... qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per cuncta saecula saeculorum.

42. *Inde facis signum crucis de oleo sancto super patenam, et dicat:* Consecrare et sanctificare digneris, Domine, patenam hanc per istam unctionem et nostram benedictionem, in Christo Jhesu Domino nostro, qui vivit.

AD CALICEM BENEDICENDUM.

43. Oremus, dilectissimi fratres, ut Dominus Deus noster calicem hunc in ministerium suum consecrandum caelestis gratiae inspiratione sanctificet: ut ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet.

44. *Item alia:* Dignare, Domine, calicem istum in usum ministerii tui pia famuli tui devotione formatum, ea sanctificatione perfundere qua Melchisedech famuli tui sacratum calicem perfudisti: et quod arte vel metalli officio non potest altaribus tuis fieri dignum, fiat tua benedictione preciosum, per.

45. *Praefacio chrismalis:* Oremus, fratres dilectissimi, ut Deus omnipotens hoc misterium corporis Filii sui Do-

benedictio consecret ✠ et sanctificet hanc patenam ad conficiendum in ea corpus Domini nostri Jhesu Christi, qui crucis passionem sustinuit pro salute omnium nostrorum, qui, etc. — 1. nostra: *post.* a *abr.* m: omnium nostrorum. C. — 6. patenam hanc: hanc patenam. B. — unctionem: *ante* u *abr.* h. — *post* benedictionem *in* B ✠. — 7. qui vivit: qui tecum. B. — 8. BENEDICENDUM: CONSACRANDUM: B. — 9. fratres: nobis. B. — 10. in... consecrandum: in suum ministerium, B; in suo ministerio consecrandum. C. — 11. ut: et ei. B; et: C. — 12. accommodet: accomodet, per. B C. — 13. *Item alia: benedictionem* (sic) *calicis.* B. — 15. famuli tui: *om.* B. — 17. altaribus tuis fieri dignum: dignum altaribus tuis esse. B; altaribus tuis esse dignum. C. — fiat tua: tua fiat. C. 19. *Haec praef. desideratur in B.* — 20. misterium: vasculum. C.

42. Gel. 611 (134), Gerb. 50, Men. 151, Miss. Franc. 678, Mart. Ord. I, II, III.

43. Gel. 611 (135), Gerb. 50, Men. 151, Miss. Franc. 679, Mart. Ord. I, III.

44. Gel. 612 (135), Gerb. 50, Men. 151, Pam. 121. Miss. Franc. 679, Mart. Ord. I, III,

45. Gel. 612 (135), Gerb. 50, Miss. Franc. 679. Mart. Ord. I, II, III.

mini nostri Jhesu Christi gerulum benedictionis, sanctificationis tutamine, defensionis donatione implere dignetur orantibus nobis.

46. *Item alia:* Omnipotens Deus, Trinitas inseparabilis, manibus nostris opem tuae benedictionis infunde: ut per nostram benedictionem hoc vasculum sanctificetur, et corporis Christi novum sepulcrum Spiritus sancti gratia perficiatur, per.

BENEDICTIO CRUCIS. *)

47. Sanctifica, Domine, signaculum passionis tuae istud; ut sit inimicis tuis obstaculum, et credentibus in te efficiatur vexillum.

48. *Item alia:* Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, ut digneris benedicere hoc lignum crucis: ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectum bonorum operum, redemptio animarum, protectio ac tutela contra saeva iacula inimicorum, per.

49. *Item alia:* Omnipotens sempiterne Deus, cuius sanctum et terribile nomen inter ceteras visibiles creaturas ligna quoque fructifera laudare ac benedicere non cessant; qui in figuram Unigeniti tui sapientia tua ligno vitae a principio paradisum voluptatis ornasti, ut eiusdem fructus sacro-

1. gerulum... implere: gerulum, benedictionis sanctificatione, tutaminis defensione ac devotionis gratiae suae implere. C. — 4. *Item alia: Sequitur benedictio.* C. — 7. per: Per eundem... in unitate eiusdem. C. — 9. Sanctifica... vexillum: *om.* B. C. — 14. salutare: singulare. B C. — 15. profectum: profectus. B C. — protectio: profectio. B; perfectio. C. — 17. *Item alia.* Omnipotens sempiterne Deus; B *hanc orat. ut praefationem habet: Dicat excelsa voce:* Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est. *Praefatio:* Aeternae Deus. Cuius sanctum, *et reliq. ut in A.* — 20. qui... vitae: qui in figura unigenitae sapientiae tuae ligno vitae. B. — 21. ejusdem: ejus B. — sacrosancti: sacrosancto. B.

46. Gel. 613 (136), Gerb. 50, Miss. Franc. 680, Mart. Ord. I, II.

47. Gel. 51. *) Iam in praefatione, ubi descriptio cod. B, notavimus differentias ordinis ad benedicendam crucem inter B et A; modo in collationibus easdem nominatim recensemus, quando in A eaedem occurrunt orationes.

48. Gerb. 51, Mart. Ord. I, III.

49. Gerb. 51, Mart. Ord. I.

sancti mysterio protoplasti parentis nostri generis mortem cavere, et vitam ammoneres custodire perpetuam; qui nos vetiti arboris adtactu mortem adeundos eiusdem coaeternae tibi sapientiae tuae Dei et Domini nostri Jhesu Christi innoxia morte ad vitam misericorditer revocare dignatus es; te supplices deprecamur, ut hoc singulare signum quod, ad exemplum primi illius sacratissimi vexilli praetioso Filii tui sanguine triumphalis, famulus tuus ille devotus erexit, caelesti tua benedictione sanctificare digneris: ut omnibus hic genuflectentibus ac tuae supplicationibus maiestati, largior et cordis compunctio, et indulgentia concedatur admissorum; atque intercedente ipsa victoria gloriosissima Unigeniti Filii tui passionis, et tibi placita postulare, et citius valeant postulata percipere. Da, quaesumus, clementissime Pater, in quo vivimus, movemur et sumus, ut quoties triumphum divinae humilitatis, quae superbiam hostis nostri deiecit, oculis intuemur, quoties mente recolimus, et contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, et maiorem devotae humilitatis gratiam consequamur: quatenus in illo tremendae tuae maiestatis examine, compaventibus elimentis, caelorumque commotis virtutibus, signum illud glorificum redemptionis nostrae appareat in caelo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetuae beatae resurrectionis gaudia videre mereamur, per. *)

1. protoplasti parentis: protoparentis B. — 2. ammoneres: admoneres. B. — 3. vetiti: vetitae. B. — adtactu: *restitui* d *abras.* — mortem adeundos: iustae morti addictos. B. — 4. tibi: *om.* B. — 6. deprecamur: exoramus. B. — 8. famulus tuus ille devotus erexit: fidelium tuorum devotione compactum est. B. — 10. supplicationibus: supplicantibus. B. — 12. victoria gloriosissima: victoriosissima. B. — 13. passionis: passione. B. — 19. tremendae tuae: tremendo ipsius. B. — 20. compaventibus: cum, paventibus. B. — elimentis: elementis. B. — 21. commotis virtutibus: virtutibus commotis. B. — 22. appareat: apparuerit. B. — 22. perpetuae: perpetua. B. — *) B. *add. al. orat., quam vide in descriptione cod. B. in praefatione.*

*) Quae sequuntur in cod. *Turicen. saec. IX*, ed. a Gerb., l. c., Ordinem distinctum constituunt, inscriptum: *Ordo quomodo in S. Romana Ecclesia Reliquiae conduntur;* in Ordine dedicationis apud Gerb. (p. 48) translatio reliquiarum, earumque repositio in altari fit cantando tantummodo ant. *Exultabunt* cum psalmo: *Cantate Domino, laus;* nulla, ut

50. *Deinde pergant ad eum locum in quo reliquae praeterita nocte cum vigiliis fuerunt, et elevent eas in feretro cum honore et laudibus, cum cruce et thuribulis et luminibus.* *)

51. *Oratio quando levantur reliquiae:*

Aufer a nobis, Domine, quaesumus, iniquitates nostras; ut ad sancta sanctorum tuorum puris mereamur mentibus introire, per.

52. *Mox incipiat clerus antiphonam istam:* Cum iocunditate exibitis, et cum gaudio deducimini: nam et montes et colles exilient expectantes vos cum gaudio.

53. *Tunc introeat in ecclesiam, et dicat:* Oremus; *et diaconus ut supra.*

Domum tuam, quaesumus, Domine, clementer ingredere, et in tuorum tibi corde fidelium perpetuam constitue mansionem: ut cuius aedificatione subsistit, huius fiat habitatione praeclara, per.

1. *in:* 1. ma. in rasura. — 3. *thuribulis;* corr. ex *turabulis.* — 5. Aufer: A *posterioris ma.* — Domine, quaesumus: quaesumus Domine: B *cum* C. (f. 30) *ubi de reconcic. eccl.* — iniquitates: omnes iniquitates. C. — 6. ad sancta sanctorum tuorum: *varia lectio in B. pro div. off.:* ad loca tuo sancto nomini purificanda. — 7. introire: accedere. B. — 14. in tuorum tibi corde: in tuorum cordibus. C. — constitue: tibi construe. C. — 15. ut... praeclara: ut domus haec, quae tua subsistit dedicatione sollemnis, tua fiat habitatione sublimis. per. C.

in A, adhibita unctione ad sepulcrum vel altare; quae primaevam simplicitatem sapit, et vicissim commendat antiquitatem textus nostri.

50. Men 151, Mur. 479, Gerb. 49, Mart. Ord. II, III. *) In margine signata est crux quaedam, eiusdem formae atque illa quae in margine ad ant. *Confirma hoc, Deus, etc.* (v. sup. n. 26) pariter occurit: haec signa forte indicant, ut iam notavi (nota 27), omittenda esse quae a n. 26 ad n. 49 inclus. describuntur.

51. Ord. Rom. 144 Gerb. 47, 49, Men. 151, Mur. 479, Mart. Ord. II, III. *) *Ord. Rom.* 144, cum statuat reliquias ante omnia transferendas esse ad ecclesiam consecrandam, ponit hanc orationem cum seq. ant: *Cum jocunditate etc.* initio totius Ordinis: sed ex hoc quoque apparet codice nostro A pressius referri venerandam antiquitatem *Ordinis Romani.*

52. Men. 152, Mur. 480, Gerb. 49, Mart. Ord. II, III.

53. Men. 152, Mur. 481, Gerb. 47, Mart. Ord. II, III.

54. *Sermo ad populum:*

Dilectissimi fratres, inter caetera virtutum solemnia, quae ad gloriam pertinent Christi Domini nostri, hoc quoque suis praestitit martyribus, qui pro nominis eius confessione, morte suscepta, caelestia praemia meruerunt; ut fidelium votis eorum praeclaris reliquiis conlocatis, integritas sancti corporis esse credatur: et ideo commonemus dilectionem vestram, quoniam illa feria illo loco reliquiae sunt sancti illius martyris sive confessoris conlocandae: quaesumus, ut vestram praesentiam nobis admonentibus non negetis.

55. *Inde veniens ante altare, extenso velo inter eos et populum* *), *recondat pontifex manu sua ipsas reliquias, canendo antyphonam istam:* Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis, *cum psalmo:* Cantate Domino canticum novum, laus eius in ecclesia sanctorum. **)

54. Gel. 635 (161), Gerb. 49, Mart. Ord. I, II. *) Hic sermo ad populum, ut contextus ipsius per se ostendit, hunc locum obtinere non debebat, quare forte in calce codicis nostri A, f.° CXIIII. et seqq., duo exhibentur *Sermones in dedic. eccles.*, (de quibus infra suo loco) huic substituendi. — Haec formula vero non occurrit in Sacram. Gregoriano neque apud *Menard*, neque apud *Muratori*, sed *Martene* nos docet eandem usurpatam fuisse in aliis ecclesiis, in quarum codicibus recte ponitur ante *Ordinem dedicationis ecclesiae*, ut videre est in *Ord. I*, ex Missali Gellonensi saec. IX. In cod. Turicensi saec. IX, ed. a *Gerbert*, II, 49, ubi adest eadem « Denunciatio, cum Reliquiae Sanctorum Martyrum ponendae sunt », statim subditur alius « Ordo quomodo in Sancta Romana ecclesia Reliquiae conduntur » unde apparet *denunciatio* ad hunc pertinere, non ad praecedentem ordinem dedicationis (ibid. p. 47), qui cum A convenit, omissis tamen: or. *Aufer*, ant. *Cum jocunditate*, or. *Domum tuam*, denunciatione praefata, ant. *Corpora*, et ultima or. *Descendat:* quae omnia eodem ordine digesta reperiuntur in seq. Ordine jam citato pro Reliquiis recondendis, qui forte adhibebatur olim in translationibus reliquiarum, et unius altaris dedicatione, cfr. *Gerbert*, II, 61; sed videant peritiores.

55. Ord. Rom. 146, Men. 152, Mur. 481, Mart. Ord. II, III. *) Haec rubrica, quae venerandam sapit antiquitatem, desideratur in Ord. saec. IX e cod. Turicensi edito a Gerbert, II, 50, et haec ipsa auctoritatem codici nostri addit. **) Vulgatus *Ordo Rom.* (146) utpote recentior, plura ad unctiones confessionis addit, quae etiam nunc in Pont. Rom. leguntur.

Postea cum malta tabulam ponat super reliquias, canendo antiphonam istam: Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et vivunt nomina eorum in aeternum, *adiungentes* Gloria Patri.

56. *Tunc induat altare vestimentis sacris, et dicat orationem istam:*

Descendat, quaesumus, Domine Deus noster, Spiritus sanctus tuus paraclitus super hoc altare, qui et populi tui dona sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet, per.

57. *Inde vero revertatur in sacrarium pontifex cum ministris suis, et induat se vestimentis sollemnibus, incipiente scola introitum:*

58. Terribilis est locus iste, hic domus Dei est, et porta caeli, et vocabitur aula Dei: *cum versu. Et procedat pontifex de sacrario et celebret missam, sicut mos est.*

59. *Oratio ad missam:* Deus, qui invisibiliter omnia contines, et tamen pro salute generis humani signa tuae potentiae visibiliter ostendis, templum hoc potentiae tuae inhabitationis inlustra: ut omnes qui huc deprecaturi conveniunt, ex quacumque tribulatione ad te clamaverint, consolationis tuae beneficia consequantur, per.

60. *Alia:* Deus qui sacrandorum tibi auctor es munerum, effunde super hanc orationis domum benedictionem tuam; ut ab omnibus invocantibus nomen tuum defensionis tuae auxilium sentiatur, per.

7. Spiritus... paraclitus: tuus sanctus Spiritus. C. — 9. dignanter emundet: purificet. C. — 19. huc: *manu posteriori add.* huc te. — 24. invocantibus: hic invocantibus. C.

56. Ord. Rom. 146, Men. 152, Mur. 241, 487, Gerb. I, 226, II, 47, 50, Mart. Ord. II, III.

57. Ord. Rom. 146, Men. 152, Mur. 487, Mart. Ord. II, III.

58. Men. 152, Mur. 488, Mart. Ord. II, III.

59. Men. 153, Mur. 241, 488, Gerb. I, 226, II, 47, Mart. Ord. III.

60. Gel. 614 (139), Gerb. I, 226, II. 47, 49 Men. 152, Mart. Ord. III.

61. *Super oblatam:* Omnipotens, sempiterne Deus, altare nomini tuo dicatum caelestis virtutis benedictione sanctifica: ut omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostendas, ut hic sacramentorum virtus, et votorum optineatur effectus, per.

62. *Praefacio:* Vere, *usque:* per Christum Dominum nostrum: Per quem te supplices deprecamur, ut altare hoc sanctis usibus praeparatum caelesti dedicatione sanctifices: ut sicut Melchisedech sacerdotis praecipui oblationem dignatione mirabili suscepisti, ita imposita novo huic altari munera semper accepta ferre digneris: ut populus qui in hanc ecclesiae domum sanctam convenit, per haec libamina caelesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequantur. Cum Angelis. *)

63. *Post communionem:* Quaesumus, omnipotens Deus, ut hoc in loco, quem nomini tuo indigni dicavimus, cunctis petentibus aures tuae pietatis accommodes, per.

64. *Super populum:* Deus qui ex omni coaptatione sanctorum aeternum tibi condis habitaculum, da aedificationi huic incrementa caelestia: ut quorum... reliquias pio amore complectimur eorum semper meritis adiuvemur, per.

2. caelestis virtutis: coelesti virtute, et. C. — 3. ut: et. C. — ostendas: ostende, C. — 4. hic: *1. ma. in actu scriptionis* huic *sed deinde abrasa litt.* u. — sacramentorum: et sacramentorum. C. — 10. imposita: *al. ma. correcta littera* a *ex o.* — 17. accommodes: es *ma. posteriori inscriptum in* a. — 19. tibi: maiestati tuae. C. — 20. huic: *2 ma. in rasura;* C. tuae. — *ante* reliquias *rasura.* — reliquias: as *2. ma. in rasura;* C. hic reliquias.

61. Gel. 614 (139), Men. 153, Gerb. I, 226, II, 47, 49, Mart. Ord. III

62. Gel. 615 (139), Men. 153, Gerb. I, 226, II. 47, 49, Mart. Ord. III. *) Nota in A desiderari « *Infra actionem* » quam orationem habet Gelas.

63. Gel. 614 (139), Men. 154. Mur. 489, Gerb. 47.

64. Gel. 614 (139), Men. 152, Mur. 241, 482.

ORATIO AD CAPILLATURAM INFANTULI. *)

1. Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius super hunc famulum tuum N. quem ad novam tondendi gratiam vocare dignatus es: tribuens ei remissionem omnium peccatorum, atque caelestium donorum consortium esse percepturum, per.

ORATIO AD BARBAM TONDENDAM.

2. Deus, cuius spiritu creatura omnis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum tuum N. iuvenili aetate decore laetantem, et primis auspiciis ad tondendum, exaudi, Domine: ut in omnibus protectionis tuae munitus auxilio, caelestem benedictionem accipiat, et praesentis vitae praesidiis gaudeat, et aeternae, per.

ORATIO AD CLERICUM FACIENDUM. *)

3. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut (sic) huic famulo tuo N., qui ad deponendam comam capitis sui propter

3. N. *om.* C. — tondendi: *praecedit rasura litter.* tu. — gratiam: am *2. ma. inscriptum in* ae. — 6. percepturum: *corr. cum* C.: praeceptorum. — 8. omnis: omnis incrementi. C. — 16. comam: *corr. ex* commam.

1. Ord. Rom. 93, Men. 234, Mur. 265, Gerb. 46, 94. *) Ut scite advertit *Menard* in nota 901 ad *Sacr. Greg.*, hoc loco subaudienda est vox: *incidendam* « quod vocabulum habetur in Ord. Rom.: haec « autem tonsura non est illa clericalis (pro qua in cod. nostro infra « habetur Ordo proprius) sed puerorum, cum primum tondebantur « eorum capilli ».

2. Ord. Rom. 99, Gel. 743 (291), Men. 235, Mur. 266, Mart. Ord. VIII, Gerb. I. 257, II. 46, 94.

3. Ord. Rom. 94, Men. 213, Mur. 182, 266, Gerb. I, 256, II, 44, 46, 93. *) Quin variam attingamus universae Ecclesiae disciplinam pro diversis temporibus, non incongruum in hac re ecclesiae nostrae usus

amorem Christi Filii tui festinat, da Spiritum sanctum qui habitum religionis in eum perpetuo custodiat, et a mundi impedimento vel saeculari desiderio cor eius defendat: ut

2. perpetuo: *r. ma.: corr. poster. ma.*: perpetuae — mundi: u *suppletum sup. lin. in actu scriptionis.*

adnotare credo. Ex authenticis documentis, jam a nostratibus illustratis, constat, non solum collationem beneficiorum in unaquaque ecclesia urbis et dioecesis factam a praeposito vel rectore ipsarum ecclesiarum, sed etiam clericalem tonsuram *titulatis*, uti ajebant, collatam fuisse: id tamen non sine controversia obtinuisse apparet; nam, si de praelatis foraneis, id est praepositis plebium, est quaestio, circa ann. 1149 Guido Ostiensis episcopus tamquam apostolicae sedis legatus mandaverat ut « nulli manum imponerent et neminem ordinarent » uno dempto archipresbytero modoetiensi, qui « cum ex antiqua ejusdem ecclesiae « consuetudine hanc dignitatem jam per multos annos possederit... « libere habeat potestatem titulandi et ordinandi clericos in ecclesia... « sicut usque hodie habuit ». (*Frisi: Mem. di Monza*, t. II, p. 59). Mandatum tamen legati apostolici obsoletum ostendit diploma an. 1173, Milonis Archipresbyteri Mediolanen. Ecclesiae, et Alberti praepositi S. Naboris, legatorum Archiepiscopi S. Galdini, qui « praeceperunt ut capitanei De Castillione libere quem velint et unde velint eligant sacerdotem sive clericum, ambrosianum dumtaxat, et « idoneum, non professum (id est *regularem*) quem praepositus de « Castro Seprio, si idoneus fuerit, investiat, et ab eo manum obedientiae recipiat: vel si praefati domini, non sacerdotem sed clericum « tantum aut forte saecularem vocaverunt, praenominatus praepositus « qui pro tempore fuerit, eum tonsuret, et ad sacros ordines repraesentet » (*Giulini: Mem. di Milano*, t. VI. pag. 550). Inter clericos urbis vero nullus alius eadem praerogativa donatus videtur praeter Ordinarios ecclesiae majoris, et praepositum S. Ambrosii majoris: utrum praepositus ambrosianus sacram tonsuram conferret sua auctoritate, an delegatione Archiepiscopi, disputabatur inter testes rogatos in quodam processu annis 1200 et 1201 confecto (v. *Puricelli, Ambros. Basil. Monum.*, n. 646 et seqq.) coram Episcopo Vercellensi et Abbati Locodiensi, legatis apostolicis pro dirimendis controversiis inter monachos et canonicos ejusdem basilicae ambrosianae; sed licet ad rem nostram parum conferat ius cognoscere, cum factum constet, tamen non erit superfluum duo audire testes, qui usus ejus aetatis illustrant: uterque rogatus fuerat « si praepositus facit « suos clericos, qui vocentur clerici sancti Ambrosii, et qui postea ef« ficiantur canonici ». Petrus de Garlate respondit: « Credo quod « fecit clericos, et tamen de mandato domini Archiepiscopi: quia

sicut inmutatur in vultu, ita manus dexterae tuae in eum virtutis tribuat incrementum: ut ab omni caecitate humana

2. virtutis tribuat incrementum ut: virtutis perfectionem tribuat, et. C. — incrementum: *suppletum 2. ma. coaeva sup. lin.*

« tempore beati Galdini Archiepiscopi venit quondam Satrapus, prae-
« positus canonicae sancti Ambrosii, ad dominum Galdinum, volens
« licentiam ad eo faciendi clericos impetrare: quam habere nequivit,
« nisi ad preces domini Oberti Crivelli tunc Archidiaconi, qui, me
« praesente, ipsi domino Satrapo licentiam faciendi clericos, et vix
« tamen, acquisivit ». Alter vero, Honestus de Cosenigo, narravit:
« quod dominus praepositus sancti Ambrosii facit clericos in ec-
« clesia beati Ambrosii libere, sua auctoritate et non de licentia
« Archiepiscopi. Interrogatus quomodo scit, respondit: Quia vidi do-
« minum Petrum Longum praepositum, tempore suae praepositurae,
« clericos facere ad altare beati Ambrosii per se vel per suum nun-
« cium, praesentibus canonicis et aliis pluribus personis de quibus
« non recordor... Interrogatus quomodo scit, quod praepositus faciat
« clericos sine licentia Archiepiscopi, respondit: Quia tempore quo
« dominus Philippus erat Archipresbyter majoris ecclesiae, rogavit
« ipse attente pro Anselmo suo praepositum et canonicos sancti Am-
« brosii, ut titularent ipsum Anselmum in ecclesia memorata sancti
« Ambrosii, tempore quo dominus Milo erat Archiepiscopus: et quem
« Anselmum ipse dominus Milo volens titulare facere licentia sua, in
« illa ecclesia sancti Ambrosii, noluerunt ejus licentia titulare praepo-
« situs et canonici, nec ibi titularis fuit *(sic)*. Et quia interfui ibi, ubi
« dominus Archiepiscopus, qui modo est, canonicis sancti Ambrosii
« dixit, ut praepositus sancti Ambrosii titularet et titulari faceret de
« licentia sua: et ipsi nolentes hoc facere, demum praepositus Petrus
« sua auctoritate et non de licentia Archiepiscopi, sed ad preces ejus,
« quosdam titulavit ». Quousque devenerit arrogantia, illa verba *ad preces ejus* abunde manifestant. Nova controversia circa an. 1289 exorta inter praepositum S. Ambrosii et archipresbyterum decumanorum, alia documenta suppetunt, quibus tamen non constat num adhuc eo tempore eadem facultate polleret praepositus ambrosianus: dubium rationabile ingerunt responsiones, quae in eadem causa leguntur in charta inedita archivii canonicorum basilicae ambrosianae. Quidam enim testis interrogatus: « Item quod praepositus dictae ecclesiae sancti
« Ambrosii propter dignitatem et excellentiam suam consuevit facere
« clericos, scilicet dare primam tonsuram; respondit: se non credere,
« nisi sicut alii praepositi Mediolani. — Item quod alii praelati sae-
« culares ecclesiarum civitatis Mediolani non consueverunt facere cle-
« ricos scilicet dare primam tonsuram; respondit: Quod archipresbyter

spiritales oculos aperiat, et lumen aeternitatis gratiae concedat, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis, etc.

1. spiritales oculos, etc.: oculos eius aperiat, et lumen aeternae gratiae concedat, per. C, *qui nihil amplius addit ad clericum faciendum.*

« ecclesiae decumanorum et alii praelati ecclesiarum consueverunt fa-
« cere, scilicet conferre primam tonsuram, nisi a tempore constitutionis
« inhibentis citra ». Haec explicant cur alius testis, presbyter Lantelmus Muscha, in alio documento ejusdem causae loquatur de hac praerogativa praepositi tamquam de re in desuetudinem acta. Sed audiamus ipsum testem: « interrogatus si scit et intendit quod dictus
« praepositus sancti Ambrosii propter dignitatem et excellentiam suam
« consuevit facere clericos scilicet conferre primam tonsuram, quod
« non consueverunt alii praelati ecclesiarum civitatis Mediolani nec
« dictus archipresbyter decumanorum, respondit: Bene audivi quod
« ipse praepositus sancti Ambrosii titulabat in dicta ecclesia sancti
« Ambrosii, sed nescio vobis dicere si alii praelati ecclesiarum Me-
« diolani consueverunt facere clericos; sed audivi in dicta canonica
« sancti Ambrosii, quod ille praepositus sancti Ambrosii faciebat cle-
« ricos ». Nil mirum quod collatio clericalis tonsurae cum collatione beneficiorum ad episcopos circa haec tempora reservaretur; nam iam saeculo XII labente, uti Giulini (*Mem. di Milano* t. VII, p. 158) advertit, electio ad beneficia clericalia non absolute a collegiis canonicorum eorumque praepositis fiebat, sed Romani Pontificis et Archiepiscoporum praesentationibus reservabatur, quibus deinde collatio uti privativa tandem remansit. Hinc forte intelligitur quare, sede archiepiscopali vacante, cum iura episcopalia ab Ordinariis ecclesiae majoris exercerentur, circa ann. 1308 statutum fuerit a Metropolitano Capitulo quod, eadem sede vacante, ad clericatum eligere possent candidatos, quisque Ordinarius sex, Archipresbyter vero et Archidiaconus novem, quibus tamen presbyter Ordinarius, a Capitulo designatus, clericalem conferret tonsuram; ad quod officium die 8 martii ejúsdem anni electi fuerunt Albertus de Busnate et Bernardus Scaccabarotius. Haec consuetudo, nemine contradicente, adhuc XV saeculo vigebat, cum ex actis constet anno 1401 die 3 aug. a Capitulo Metropolitano deputatum fuisse Archidiaconum, et quinque presbyteros Ordinarios ad habitum ecclesiasticum et clericalem tonsuram conferendam idoneis postulantibus. Documenta allata ex actis archivi Magistri Caeremoniarum deprompsi, nempe ex rotulo ann. 1289, quem cum ceteris documentis ejusdem causae in tabulario basilicae ambrosianae adhuc servatis integrum in quarto horum *Monumentorum* volumine publici juris faciam, licet ex parte iam *Puricelli* in sua *Nazariana dissertatione* passim (pp. 192 et 567) dederit; alia annor. 1308 et 1401 ex

4. *Tunc tondes eum, antiphonam istam dicendo:*

Tu es, Domine, qui restitues mihi haereditatem meam, *cum versu:* Dominus pars haereditatis meae et calicis mei.

Item alia: Haec est generatio quaerentium Dominum, quaerentium faciem Dei Jacob, *cum versu:* Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo, *cum* Gloria.

5. *Sequitur oratio:*

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, huic famulo tuo N. qui hodie capitis sui comam pro Dei amore deposuit, ut in tua dilectione permaneat, et eum sine macula in sempiternum custodias, per.

10. comam: *corr. ex* commam.

schedis mei praedecessoris Doct. Caroli Brambilla, eruditissimi inter ambrosianae liturgiae cultores: de his omnibus tamen iam disseruit praeter Puricelli et Giulini, l. c., *Fumagalli, Antichità Longobardico-Milanesi* (t. III, p. 265 et seq.) licet mente non semper aequa. — In quodam Manuali ambrosiano mutilo, saec. XI, olim, ut puto, ecclesiae S. Petri de Clivate, deinde basilicae ambrosianae, ut ipsa ostendit indicatio: *Liber canonicorum sancti Ambrosii* quae in primis foliis ma. saec. XIV–XV legitur, nunc Bibliothecae Solesmensis RR. PP. Ordinis S. Benedicti, in calce, in foliis adscititiis, leguntur tres orationes *ad clericum faciendum*, secunda manu exaratas: num fuerint ipsae adhibitae a praeposito nostro, ipsi judicent RR. Patres.

4. Ord. Rom. 95, Men. 213, Mur. 183, Gerb. I, 256, II, 45, 94.

5. Ord. Rom. 95, Men. 213, Mur. 183, Gerb. I, 257, II, 94.

INCIPIT ORDO DE SACRIS ORDINIBUS BENEDICENDIS. *)

[ORDINATIO OSTIARIORUM.]

1. *Ostiarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conversari,*

4. [ORDINATIO OSTIARIORUM]: *suppl. ex Ord. Rom. et Sacram. editis.*

*) Ordinem nostrum percurrentes non moveantur theologorum sententiis de materia et forma ad validam Ordinum collationem requisitis, cum plura ab illis ut necessaria praedicata in codice nostro desiderentur. Jam doctissimus *Io. Morinus, De sacris eccl. Ordinationibus* scholasticorum argumentationes solido documentorum, nempe pontificalium utriusque ecclesiae latinae et orientalis, carere fundamento prorsus demonstravit; quare ad eundem remitto lectorem, ut ulterius progrediar.

Duo enim occurrunt observanda in liturgicis ambrosianis libris: primum scilicet nullum, sive in Manualibus sive in Missalibus, reperiri vestigium ullius officii proprii illorum jejuniorum, quae in Romana ecclesia iam a saec. V quatuor anni temporibus fiebant, unde assignantur pro his diebus statae preces: alterum observandum exhibent tum codex noster, tum Missalia et ipse Beroldus; ex ipsis enim deduci nequit quo tempore, in quave Missae parte sacri Ordines collati fuerint. Disciplina ecclesiae nostrae hac in parte se prodit omnino a Romana diversam: nec mirum quod cum quadragesimales missas, proprias pro feriis, mutuata esset a Gregoriano, tamen nullam pro sacris et tam solemnibus jejuniorum temporibus Missam susceperit; iam in limine huius commentarii notavi constantem Ecclesiae nostrae cultum in antiquissimis traditionibus servandis; hinc evenit ut, licet nova a Romanis Pontificibus statuta fuerint tempora pro Diaconatu et Presbyteratu conferendis (*v. Epist. Gelasii ad Episc. per Brutios et Lucaniam c.* XI), ipsa tamen perseveravit in primaeva institutione, eosdem Ordines conferendi dominicis diebus, quemadmodum et Pontificale Romanum etiam nunc statuit quoad Ordines minores et Episcopalem con-

per ministrationem eius, tradit claves ecclesiae de altari dicens:

secrationem. Cum autem ipse Beroldus nunquam de sacris Ordinibus, neque in sabbato sancto, neque in sabbato pentecostes verba faciat, nec ipsum temporum jejunium commemoret, crederem veterem disciplinam saltem usque ad XII saec. perdurasse. Sequioris aetatis unum occurrit documentum: *Ordo secundum morem sanctae mediolanen. ecclesliae*, auctore Joanne Bartholomeo de Guerciis de Melegnano rectore eccl. S. Victoris Portae Romanae, scriptus circa an. 1220, editus a *Dozio* (*Opuscoli liturgico-ambrosiani p. I, pag. 91 et seq.*) In hoc ordine, licet multa a Beletho exscripta reperiantur, tamen ritus proprios Mediolanensis ecclesiae referri existimo, saltem ea tempestate usitatos. Ex hoc ordine itaque, ubi « de horis in quibus missa « debet celebrari » legitur: « Et est notandum, quod in tribus horis « regulariter missa celebratur, scilicet tertia, sexta, et nona:... nona « in quadragesima, et in diebus jejuniorum, non tamen omnium, quia « in sabbatis quatuor temporum valde sero potest celebrari, et debet « propter sacros ordines, *qui ad dominicam pertinent.* » Nullum superest dubium quin saltem saec. XIII haec et de temporibus et ritu in missa invaluerit disciplina ecclesiae nostrae; ipsa verba: *ad dominicam pertinent* primaevum supra notatum institutum confirmant.

Porro licet jejunia quatuor temporum ab hac aetate usque hodie usurpari coepissent, tamen nullum Breviario aut Missali Ambrosiano accessit proprium officium vel commemoratio, quin ceteroquin consequeretur diversa praxis ecclesiae nostrae in sacris Ordinibus conferendis, uti apparet ex *Caeremoniali Ambrosiano*, edito a *Card. Federico Borromeo*, qui ann. 1609 traditionem ambrosianam in hac parte promulgavit, ne ulterius incerta nutaret; (l. c. p. 68) « Pri« mam Tonsuram quocumque die hora et loco conferre potest (archi« episcopus): Minores Ordines dominicis et aliis festivis diebus, ubi« cumque, mane tamen...: Ordines vero Majores in ordinationibus ge« neralibus temporibus praescriptis, et Minores quoque confert in « Metropolitana ecclesia, coram universo illius ecclesiae clero ad prae« scriptum Pontificalis; his solum, ut infra, mutatis pro ratione ordinis « Missae ambrosianae:

« Post *Ingressam* promoveat ad primam tonsuram; post hymnum « *Gloria in excelsis*, si dicatur, ad minores Ordines usque ad Lecto« ratum inclusive. Post *Lectionem* (in Missa enim ambrosiana ante Epi« stolam, exceptis ferialibus et nonnullis aliis diebus, recitatur *Lectio* « Veteris Testamenti vel *Actuum Apostolorum*, cum suo psalmello) ad « Exorcistatum et Acolythatum, deinde ad Subdiaconatum. Post *Epi« stolam* et primum *Alleluja* ad Diaconatum. Post *Versum* in *Alle« luja* ad Presbyteratum. Post ultimum *Alleluja* cantetur Evange-

Sic ag[it]e quasi redditurus[i] Deo rationem pro his rebus, quae istis clavibus includuntur. *)

Et tradit ei diaconus ostium ecclesiae.

2. *Praefacio ostiarii:*

Deum Patrem omnipotentem suppliciter deprecamur, ut hunc[os] famulum[os] suum[os] N. benedicere dignetur, quem[os] ad officium ostiarii eligere dignatus est: ut sit ei[s] studiosissima cura omnibus diebus ac noctibus exercendi opus ministerii eius per horas certas ad invocandum nomen Domini...

3. Oremus. *Et diaconus:* Flectamus genua.

1. ag[it]e: it *suppletum sup. lin. in actu scriptionis pro plurali, ut ceterae literae, quas deinceps indicabo uncinis inclusas.* — 8. *ante* omnibus *abrasa praepositio:* in. — 10. *post* Domini *abras.*: per.

« lium. — Si vero non dicatur: *Gloria in excelsis*, post primam « Tonsuram, immediate promoveat ad Ordines Minores; quod si neque « *Lectio* in Missa dicatur, omnes Minores Ordines successive confe« runtur. » Benevolum lectorem certo non pigebit si haec ex libro tam raro transcripserim, ut traditionem ecclesiae Ambrosianae integram exponerem: in sequentibus vero notis, nonnulla ex documentis referam, quae licet nihil ad haec addant, tamen argumentum complent.

1. Ord. Rom. 98, Gel. 620 (145), Men. 219, Mur. 405, 417, Gerb. 39, Mart. Ord. II, III, IV, VI. *) Codex noster hanc rubricam, sicut et reliquas in ordinationibus lectorum, exorcistarum, acolythorum, etc. desumere videtur e *Statutis ecclesiae antiquis*, vulgatis sub tit.: *Can. Conc. Cart. IV* an. 398; sed in seq. ordinatione lectorum recurrit mentio electionis candidatorum, quae antiquissimam sapit disciplinam, tamen obsoletam temporibus illorum statutorum: haec, ni fallor, demonstrant codicem nostrum esse apographum antiquioris codicis, in quo non obstantibus praescriptionibus conc. carthaginensis, quae accesserint, primus ordo integer et incorruptus servabatur; quod erui potest, tum ex distinctione servata formularum in seq. ordinatione lectorum, secus atque in Gregorianis, et aliis Ordinibus a Martene editis; tum ex lectione orationum, quae eaedem ad verbum occurrunt in Pontif. aliarum ecclesiarum adeo dissitarum, ut nullum cum nostra ecclesia commercium habuisse videantur.

2. Ord. Rom. 98, Gel. 621 (147), Men. 220, Mur. 405, 417, Miss. Franc. 661, Gerb, 39, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

3. Ord. Rom. 98, Gel. 621 (147), Men. 220, Mur. 406, 417, Miss. Franc. 662, Gerb. 39, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

Benedictio eiusdem:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere dignare hunc[os] famulum[os] tuum[os] N. ad ministerium ostiarii: ut inter ianitores ecclesiae religiose ministre[n]t, et inter electos tuos partem merea[n]tur habere mercedis, per.

ORDINATIO LECTORIS.

4. *Cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem indicans eius vitam vel fidem atque ingenium, et dicat ad electum:*

5. Elegerunt te [vos], fratres tui [vestri] *), ut si[ti]s lector[es] in domo Dei tui [vestri]; et ideo agnosc[it]e officium tuum [vestrum], ut implea[ti]s illud: potens est tibi [vobis] Deus augere gratiam.

6. *Post haec aspiciente plebe tradit ei codicem, de quo lecturus est, dicens:*

Accip[it]e, et esto[te] verbi Dei relator[es], habitu-

3. N. ad ministerium ostiarii, ut: ostiarios N. ut: C. — 4. religiose ministrent: pareant obsequio. C. — 5. partem: partem tuae. C. — 8. *faciat: a* 2. suppl. sup. lin. in actu scriptionis. — 11. Elegerunt, etc. C. *hanc form. ponit post traditionem libri;* cfr. *descriptionem ejusdem cod. in praef.* — 13. potens est, etc.: *in margine superiori folii legitur:* hic librum, *manu coaeva.*

4. Gel. 620 (145), Men. 220, Mur. 406, 418, Gerb. 39, Mart. Ord. II, III, IV, V.

5. Ord. Rom. 98, Gel. 621 (147), Mur. 406, 418, Miss. Franc. 662, Mart. Ord. II, III, IV, V. *) Haec remota antiquitate redolent: et in hoc quoque praestantia cod. nostri apparet, qui unus prae ceteris allatis concordat cum vulgato Ordine Romano l. c. Haec formula, quae iam saec. X sublata est in Ord. VI ed. a Martene, plura nos docet, quae aliunde ecclesiasticis scriptoribus sunt trita, nempe de diversa pro tempore Ordinum Minorum institutione; et si conferantur quatuor Ordinationes, praesertim lectorum, diversitates formularum facile occurrent, quae auctoris diversitatem innuunt, quamvis dubitari non possit de sua romana origine.

6. Ord. Rom. 98, Gel. 620 (145), Men. 220, Mur. 406, 418, Gerb. 39, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

rus[i], si fideliter utiliterque impleveri[ti]s illud officium, partem cum his qui verbum Dei ministraverunt...

7. Oremus. *Et diaconus ut supra.*

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere dignare famulum[os] tuum[os] hunc[os] N. ad officium lectoris[um]: ut assiduitate lectionum si[n]t aptus[i] pronuntiare verba vitae, et mentis ac vocis distinctione populo monstrare intelligibilia, per Dominum.

ORDINATIO EXORCISTAE.

8. *Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripta est exorcizatio, dicente episcopo:*

Accip[it]e et commenda[te] memoriae, et habeto[te] potestatem, Domini gratia faciente, imponendi manum super energumenum sive baptizatum sive caticuminum.

9. *Praefacio eiusdem:*

Deum Patrem omnipotentem suppliciter deprecemur: ut hunc[os] famulum[os] suum[os] N. benedicere dignetur ad officium exorcistae: ut si[n]t spiritalis[es] imperator[es] ad abiiciendos daemones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi...

1. utiliterque: et utiliter. C. — illud officium: officium vestrum. C. — 2. *post* ministraverunt *rasura.* — 5. ad: in. C. — 6. assiduitate: *prima* s *2. ma in rasura litterae* d. — sint apti etc...: C *legit:* distincti sint atque ornati, et agenda dicant, et dicta opere compleant: et in utroque sanctae ecclesiae gratiam suis modulis spiritali devotione resonent. Per Dominum nostrum. — 9. *in margine superiori ma. coaeva:* hic cereostantes. — 13. imponendi: *corr. ex* inponendi. — 16. omnipotentem: *C. add.:* fratres charissimi. — suppliciter: supplices. C. — 18. ad: in. C. — 19. abiiciendos: *corr. ex*: abiciendos. — 20. *post* multiformi, *ras.; C. add.* Adiuvante Domino nostro Jhesu Christo, qui cum eo vivit et regnat Deus in unitate Spiritus Sancti, per omnia saecula saeculorum.

7. Ord. Rom, 98, Gel. 621, (147), Men. 220, Mur. 406, 418, Miss. Franc. 662, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

8. Ord. Rom. 98, Gel. 620 (145), Men. 220, Mur. 406, 419, Gerb. 39, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

9. Ord. Rom. 99, Gel. 621 (147), Men. 220, Mur. 407, 419, Miss. Franc. 662, Gerb. 40, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

10. Oremus. *Et diaconus ut supra.*

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere dignare famulum[os] tuum[os] hunc[os] N. ad officium exorcistae: ut per impositionem manuum et oris officium eum[os] eligere digneris: ut imperium habea[n]t et potestatem spirituum immundorum coercendi: ut sit eius [horum] medicina gratia curationum ex virtute tua confirmata, per.

ORDINATIO ACHOLITI.

11. *Acholitus cum ordinatur primo ab episcopo doceatur in officio suo quid agere debeat. Sed ab archidiacono accipia[n]t ceroferarium cum cereo, ut scia[n]t se ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari. Accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam Corporis Christi.*

12. Oremus. *Et diaconus ut supra.*

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui per Christum Jhesum Filium tuum in hunc mundum lumen claritatis misisti, et in cruce passionis beatae sanguinem et aquam ex latere eius pro genere humano dignatus es fundere; et per apostolos tuos in hoc saeculum lumen gratiae spiritalis misisti, benedicere dignare hunc[os] famulum[os] tuum[os] N. ad officium acholiti: ut ad accendendum claritatis ecclesiae tuae lumen, et ad suggerendum vinum et

3. famulum tuum hunc: hos famulos tuos. C. — ad: in C. — 5. imperium habeat et potestatem: potestatem et imperium habeant. C. — 6. immundorum: *corr. ex* inmundorum. — ut sit eius etc.; *C. legit:* et probabiles sint medici Ecclesiae tuae, gratia curationum et virtute confirmati. Per Dominum. — 11. *quid:* sup. lin. 2. ma. — 15. *In superiori marg. alia ma.:* hic urceum et aquamanile.

10. Ord. Rom. 99, Gel. 622 (148), Men. 221, Mur. 407, 419, Miss. Franc. 663, Gerb. 40, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

11. Ord. Rom. 99, Gel. 620, (145), Men. 221, Mur. 407, 419, 420, Gerb. 40. Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

12. Ord. Rom. 99, Mur. 407, 420, Gerb. 39, (Lofric Missal. 212) Mart. Ord. II, III, IV.

aquam ad conficiendum Sanguinem Filii tui, in offerendo Eucharistiam sanctis altaribus fideliter subministre[n]t. Accende, Domine, eius[orum] mentem[s] et cor[da] ad amorem tuum caelestem, et gratiae miserationis tuae virtute confirma, per eundem.

ORDINATIO SUBDIACONI.

13. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam et calicem vacuum. Et ab archidiacono scyphum aquae cum aquamanile, et manutergium, dicente episcopo ad plebem:*

14. Auxiliante Domino nostro Jhesu Christo.

Auxiliante Domino Deo et salvatore nostro Jhesu Christo, elegimus ad honorem subdiaconatus, sive diaconatus, sive presbyterii, de titulo tali vel tali. Si quis autem habet aliquid contra hos viros pro Deo interrogo, et propter Deum precor, ut fiducialiter dicat; verumtamen memor sit communionis suae.

15. *Allocutio ad subdiaconos.*

Vide[te] cuius ministerium tibi [vobis] traditur: et ideo si usque nunc fuisti[s] tardus[i] ad ecclesiam, amodo debe[ti]s esse assiduus[i]; si usque nunc somnolentus[i], amodo vigeli[e]s; si usque nunc ebriosus[i], amodo sobri[i]us; si usque nunc inhonestus[i], amodo castus[i]. Obla-

9. *et ab archidiacono,... manutergium:* inter lineas add. 2. ma. coaeva. — 19. traditur: tradatur. C. — 23. inhonestus: incesti (sic) C. — Oblationes, etc: *C. vero legit*: Ideo vos commoneo, ut vos ita exhibeatis ut

13. Ord. Rom. 100, Gel. 620 (145), Men. 221, Mur. 409, 421, Gerb. 40, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI. *) Allocutio ad plebem, quae infra ponitur, ut contextus exigit, praecedere debet hanc rubricam: forte hic canon in codice originali, prototypo huius nostri, erat additio marginalis posterioris manus: et amanuensis parum advertens ad sensum eandem transcripsit ante ipsam allocutionem ad populum.

14. Ord. Rom. 100, Gel. 512 (22), Men. 222, Mur. 408, 423, 426, Gerb. 44, Mart. Ord. III, IV, V.

15. Ord. Rom. 100, Men. 221, Mur. 421, Miss. Franc. 663, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

tiones quae veniunt in altare panes propositionis appellantur: de ipsis oblationibus tantum debet in altari poni, quantum populo sufficiat, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallae vero quae sunt in substratorio, in alio vase debent lavari: in alio corporales pallae. Ubi pallae corporales lavatae fuerint nullum linteum in eo aliud lavetur; ipsa aqua in baptisterio debet fundi, sive in alio mundo loco: et ideo admoneo, ut talem[s] te[vos] exhibea[ti]s, quatinus Deo placere possi[ti]s:

16. *Praefatio eiusdem:*

Deum ac Dominum nostrum deprecemur, ut super servum[os] suum[os] N. quem[os] ad subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat benedictionem et gratiam suam; quatinus fideliter servien[te]s praedestinata sanctis praemia consequa[n]tur...

17. Oremus. *Et diaconus ut supra.*

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere dignare famulum[os] tuum[os] hunc[os] N., qui ad subdiaconatus officium electus[i] est[sunt], ut eum[os] sacrificio tuo sancto strenuum[os] sollicitum[os]que instituas; ac sanctis altaribus fideliter subministre[n]t: et requiescat super eum[os] Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis; repleas

Deo placere possitis. — 5. lavari: *1. ma.* lavi: *ma. poster. add.:* ari. — 8. admoneo: *corr. ex* amoneo. — exhibeas: *corr. ex* exibeas. — 11. Deum: Oremus Deum. C. — deprecemur: fratres charissimi. C. — 12. servum: hos famulos. C. — 13. et gratiam suam: suam et gratiam. C. — 14. quatinus: ut in conspectu ejus. C. — 15. *post* consequatur *abras.*: per Dominum; *C vero add.*: Auxiliante Domino nostro J. C. qui cum eo vivit et regnat Deus, per infinita saecula saeculorum. Amen. — 18. famulum tuum hunc: hos famulos tuos. C. — qui... electus est: quos... eligere dignatus es. C. — 20. sacrificio: in sacrario. C. — strenuum: *corr. ex* strennuum. — instituas: instituas excubitores. C. — ac sanctis: sanctisque. C.

16. Ord. Rom. 100, Gel. 622 (148), Men. 222, Mur. 409, 422, Miss. Franc. 663, Gerb. 40, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

17. Ord. Rom. 100, Gel. 622 (148), Men. 222, Mur. 409, 422,

eum[os] Spiritu timoris Domini, et ministerio divino confirmes, per. *)

ORATIO AD ORDINANDUM DIACONUM.

18. *Et quia non ad sacerdotium sed ad ministrationem consecratur, solus episcopus qui eum benedicit manus ponat super caput illius, dicens ad plebem:*

19. Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem:

1. Domini: *om. C.* — et: et eos. C. — confirmes: confirmes; ut obedientes facto, atque dicto parentes, tuam gratiam consegnantur. Per. C. — 2. per: *ma. poster. saec. X, (?) in margine addit:* et episcopus det ei man(*ipolum*). — 5. *consecratur:* inter *a* et *t.* abrasa *n.*

Miss. Franc. 663, Gerb. 40, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI. *) Ut innuit additio posterioris manus in margine « et episcopus dat ei « *manipulum* » traditio indumentorum satis recentioris aetatis est. Sed praesto est quaestio: cur manipulum tantum, et non *alba* sive *tunica* ordinatis tradebatur? Ex documentis saec. XIII patet hoc fuisse privilegium *Ordinariorum*, sive clericorum primi post archiepiscopum ordinis in Ecclesia mediolanensi: ex rotulo an. 1203 testis Guilielmus Balbus mediolanensis ecclesiae Archipresbyster, *juratus dixit:* « quando Ordinarii veniunt ad Ordinem Subdiaconatus vel Diacona« tus, recipiunt albam et dalmaticam; et quando recipiunt ordinem « Presbyteratus venit (sic) cum dalmatica et recipit planetam: sed alii « clerici huius civitatis, praeter abbates, non recipiunt albam sive « dalmaticam ». Hanc praerogativam, sicuti patet ex testibus rogatis an. 1289 in causa praecedentiae inter archipresbyterum decumanorum et praepositum S. Ambroiis, ipse praepositus affirmabat competere suis canonicis; sed nullus ex testibus affirmative respondit ad quaestionem « .... quod praepositus et canonici dictae ecclesiae S. Ambrosii « quando promoventur ad sacros Ordines vadunt revestiti cum alba « et dalmatica, sicut faciunt et vadunt Ordinarii ecclesiae majoris, « quod quidem non faciunt alii canonici ecclesiarum civitatis Medio« lani.... » Hac ratione explicatur privilegium S. Galdini archiepiscopi, an. 1170 Ordinariis ecclesiae majoris datum, ut ipsis solis « ex« ceptis monachorum congregationibus, in civitate cum diacono et « subdiacono missam celebrare liceret » quod sequiori aetate obsolevit; sed de his iam fusius in Beroldo, f. 176 et seq. tractavi.

18. Ord. Rom. 100, Gel. 620 (144), Men. 223, Mur. 423, Gerb. 40, Mart. Ord. II, III, IV, VI.

19. Ord. Rom. 101, Leon. 423, Gel. 515 (26), Men. 223, Mur. 409, 424, Miss. Franc. 664, Gerb. 40, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

ut super hunc[os] famulum[os] suum[os], quem[os] in sacrum ordinem dignatur assumere, benedictionis suae gratiam clementer infundat, ei[s]que donum consecrationis indulgeat, per quod eum[os] ad praemia aeterna perducat...

20. Oremus. *Et diaconus ut supra.*

Exaudi, Domine, preces nostras; et super hunc[os] famulum[os] tuum[os] Spiritum tuae benedictionis emitte: ut caelesti munere ditatus[i], et tuae gratiam possi[n]t maiestatis adquirere, et bene vivendi aliis exemplum praebere, per.

21. *Consecratio:*

Adesto, quaesumus, *) omnipotens Deus, honorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor: qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponis per Verbum, virtutem sapientiamque tuam, Jhesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia praeparas, et singulis quibusque temporibus apta dispensas. Cuius corpus, Ecclesiam tuam, caelestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam districtione membrorum, per legem mirabilem totius compagis unitam, in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris, sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum **) nomini tuo militare

1. suum: suos N., C. — in sacrum... assumere: ad officium diaconatus assumere dignatus est. C. — 3. infundat etc.: C *legit:* effundat, et consecrationis indultae propitius dona conservet, et preces nostras clementer exaudiat: ut quae nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio; et quos sacris mysteriis exequendis, pro nostra intelligentia, credimus offerendos, sua electione justificet. — 4. *sub rasura:* per Dominum. — 7. tuum: tuos N., C. — 8. tuae gratiam possi[n]t majestatis: tuae majestatis gratiam possint. C. — 14. sapientiamque: sapientiam. C. — 15. praeparas: praeparans. C. — 16. singulis: in singulis C. — apta dispensas: aptanda dispensas. C. — 17. tuam: videlicet tuam. C. — varietate: *in fine vocis abrasa* m. — 18. districtione: distinctione. C. — 19. compagis: *corr. ex* conpagis. — 20. largiris: digneris. C.

20. Ord. Rom. 101, Men. 223, Mur. 425, Gerb. 40, Mart. Ord. II, III, V, VI.

21. Ord. Rom. 101, Leon. 423, Gel. 515 (26), Men. 223, Mur. 410, 424, Miss. Franc. 664, Gerb. 40, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI. *) Ord. Rom. hanc consecrationem incipit absolute: *Omnipotens Deus*, etc.: **) Nonne hic antiquitatem huius orationis pro-

constituens; electis ab initio Levi filiis, qui mysticis operationibus domus tuae, fidelibus excubiis permanentes, haereditatem benedictionis aeternae sorte perpetua possiderent. Super hunc[os] quoque famulum[os] tuum[os] N., quaesumus, Domine, placatus intende; quem[os] tuis sacrariis serviturum[os] in officium diaconii suppliciter dedicamus: et nos quidem tamquam homines divini sensus et summae rationis ignari, huius[orum] vitam, quantum possumus, aestimamus. Te autem, Domine, ea quae nobis sunt ignota non transeunt, te occulta non fallunt; tu cognitor secretorum, tu scrutator es cordium, tu eius[orum] vitam caelesti poteris examinare iudicio, quo semper praevales, et commissa purgare, et ea quae sunt agenda concedere. Emitte in eum[os], Domine, quaesumus, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii fideliter exequendi septiformis gratiae munere roborentur. Abundent in eo[is] totius forma virtutis; auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas, et spiritalis observatio disciplinae. In moribus eius[orum] praecepta tua fulgeant; ut suae castitatis exemplo imitationem sanctam plebs adquirat, et bonum conscientiae testimonium proferentes, in Christo firmus[i] et stabili[e]s persevere[n]t; dignisque successibus de inferiori gradu, per gratiam tuam, capere potiora merea[n]tur, per.

22. *Ad consummandum diaconatus officium.* *)

Commune votum communis oratio prosequatur; et hi

1. mysticis operationibus: in mysticis operibus. C. — 6. officium: *corr. ex* officii: *ut in* C. — 10. cognitor: cognitor es. C. — 12. commissa: amissa. C. — 14. Domine: *om.* C. — 15. gratiae: gratiae tuae. C. — 19. sanctam plebs adquirat: sanctae plebis acquirant. C. — 20. adquirat: *inter* a *et* t *abras.* n. — proferentes: praeferentes. C. — 23. per: per eundem Dominum nostrum, in unitate ejusdem Spiritus sancti. C.

ditur, immo indigitatur, quando nempe inter ministros, praeter diaconum, subdiaconus et lector tantum agnoscebantur? (cfr. *Duchesne, Origines du Culte Chrétien*, p. 330).

22. Ord. Rom. 101, Gel. 516 (28), Mur. 411, 423, Miss. Franc. 666, Mart. Ord. II, III, IV, V. *) In *Ord. Rom.* ed. ab Hyttorpio

totius Ecclesiae prece, qui in diaconatus ministerio praepara[n]tur, leviticae benedictionis ordine claresca[n]t; et spiritali conversatione praefulgen[te]s, gratia sanctificationis elucea[n]t.

23. *Sequitur benedictio:*

Domine sancte, spei, fidei, gratiae et profectuum munerator, qui in caelestibus et terrenis, angelorum ministeriis ubique dispositis, per omnia elementa voluntatis tuae diffundis affectum; hunc[os] quoque famulum[os] tuum[os] N. speciali dignare inlustrare aspectu: ut tuis obsequiis expeditus[i], sanctis altaribus minister[ri] tuus[i] purus[i] adcresca[n]t; et indulgentia purior[es] eorum gradu, quos apostoli tui in septenario numero, beato Stephano duce ac praevio, sancto Spiritu auctore, elegerunt, dignus[i] exista[n]t, et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet, instructus[i] complacea[n]t, per.

24. *Dum vero consecratus fuerit, induitur stola et dalmatica* *) *et dat osculum episcopo et sacerdotibus: et stat ad dexteram episcoporum.* **)

1. diaconatus: *sup.* us *2. ma. inscript.* i. — 2. leviticae: *corr. ex* leviticis, *cum Gel. et edit.* — benedictionis: *sup. lin. inter* i *et* s, *ma, poster. add.*, bu *pro plurali, sed mendose.* — 6. sancte: *corr. ex* sanctae, *ut in* C *et editis.* — 9. affectum: effectum. C. — 10. inlustrare aspectu: illustrare affectu. C. — 12. indulgentia: *corr. ex* indulgentia *cum* C. — 16. complaceat: *corr. ex* conplaceat. — per: per Dominum nostrum Jhesum Christum Filium tuum, in unitate ejusdem Spiritus sancti. C.

haec formula ut *allocutio ad populum* legitur initio huius ordinationis: et hoc in loco fit traditio stolae, servata tamen antiqua rubrica: AD CONSUMMANDUM DIACONATUS OFFICIUM *cum stola;* haec profecto recentioris, institutionis indicia sunt. Porro, si attendatur tenor huius orationis bene congruit sequenti benedictioni, et est eiusdem benedictionis veluti praeludium.

23. Ord. Rom. 102, Gel. 516 (28), Mur. 411, Miss. Franc. 666, Mart. Ord. II, III, IV, V.

24. Men. 223. Mart. Ord. II, V. *) Ex superiori nota 17 crediderim olim hanc rubricam in ecclesia nostra servari tantum in ordinariorum ordinationibus, et ceteris diaconibus tantum tradi stolam; ita forte est interpretandus can. *Diaconus* 19 dist. 93. Qua de re notandum quoque occurrit, quod secundum monumenta antiqua, sicut

[ORDINATIO PRESBYTERI.]

25. *Allocutio ad populum de ordinatione presbyteri.*

Quoniam, dilectissimi fratres, gubernatori navis et nautis eadem est causa securitatis et timoris, communis debet esse sententia: et ne cogitemus frustra a patribus institutum, ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consuletur et populus; quia quod ignoratur a paucis, non numquam scitur a pluribus; et necesse esset ut facilius quis

1. [ORDINATIO PRESBYTERI] *suppl. ex editis.* — 7. *ante* quod *eramus* c.

et mos hactenus viget, diaconi supra dalmatica deferebant stolam, eamque non eiusdem panni quo constabat tunica, sicut S. Carolus in suis *Instructionibus* in hac parte ab ecclesiastica traditione discrepantibus praescripsit. **) Ultima rubrica, quae fere ad verbum consonat cum Ord. Rom. VIII, 3, apud *Mabillon*, explicat cur adhuc in ecclesia nostra metropolitana, in sedibus choralibus canonici Ordinarii Diaconi ad sedis archiepiscopalis dexteram licet digniorem partem consideant; presbyteri vero eiusdem ordinis ad sinistram. Quam venerandae antiquitatis sit mos iste constat etiam ex superius citato rotulo an. 1203; ibi enim inter Archipresbyteri D. Guilielmi Balbi responsiones plura de *banco diaconorum*, ut dicebatur, ad eruditionem utilia leguntur, ex quibus sequentia decerpo. Ad quaestionem quomodo ipse diceret bancum, quod in choro est *a monte* idest ad dexteram episcopalis sedis, pertinere ad diaconos, respondit: « .... quia vidit quoddam privilegium « beati Galdini (*Archiepiscopi*) in quo continetur ex antiqua consuetu« dine quod ita obtentum est, quod illud sit bancum diaconorum, et « decrevit in illo privilegio quod illud bancum pertineat ad solos dia« conos majoris ecclesiae, et quod nullus decumanorum habeat jus « sedendi in banco illo: et illud privilegium confirmatum est aucto« ritate Domini Alexandri Papae, et ipsemet vidi confirmationem; et « dicit quod est communis fama quod illud est bancum diaconorum « et aliud est bancum presbyterorum.... » Et paulo infra adiecit «quod « quotiens Archiepiscopus vocat clerum et sedet praesente clero, Ar« chidiaconus sedet juxta Archiepiscopum a dextra parte, nullo medio, « et Archipresbyter a sinistra ». Privilegium S. Galdini forte est ipsum am editum a *Puricelli, Monum. Basil. Ambros.* p. 918, et *Ughelli, Ital. sacr. t. IV col. 157*, (v. etiam in not. ad *Beroldum* p. 176 et seq.), sed confirmationem apostolicam plane ignoro.

25. Ord. Rom. 102, Mur. 411, Miss. Franc. 666, Mart. Ord. IV.

obedientiam exhibeat ordinato[is], cui[quibus] assensum praebuit ordinandi. Fratres nostri et compresbyteri, conversatio in quantum nobis videtur probata ac Deo placita est, et digna ecclesiastico ministerio; sed ne unum fortasse vel paucos decipiat assensio, aut fallat effectio, sententia est expectanda multorum. Itaque quid de eius[orum] actibus aut moribus noveritis, quid de merito censeatis, Deo teste, consulimus: ut huic[is] testimonium sacerdotii, magis pro merito quam pro affectione aliqua, tribuatis. Et qui devotionem omnium expectamus, intellegere tacentes non possumus; et ideo electionem vestram debetis voce publica profiteri.

26. *Tuncque tenens eum archidiaconus ducit extra rugas altaris, exuit eum dalmatica, et reducit ad episcopum, sive ipse sive presbyter.*

27. *Episcopo eum benedicente, omnes presbyteri qui adsunt manus suas super caput illius teneant.* *)

1. praebuit: *ma. dub. sup.* i *suppl.* er *et* n. — 3. probata: *corr. ex* probato[is]. — 8. sacerdotii: i 1. *suppl. sup. lin. in actu scriptionis.* — 12. profiteri: *corr. 1. ma. in actu scriptionis ex* confiteri. — 16. *Episcopo, etc.:* C legit: *Presbyter cum ordinetur, episcopo cum benedicente et manum super cuput eius tenente, etiam omnes presbyteri, qui praesentes sint, manus suas iuxta manus episcopi super caput illius teneant.*

26. Mart. Ord. I.

27. Ord. Rom. 103, Gel. 620, (144) Men. 224, Mur. 411, Gerb. 41, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI. *) Impositio manuum presbyterii omni tempore universis ecclesiis fuit communis: nostro tamen in casu, ad mediolanensium Liturgiam illustrandam nonnulla advertenda sunt ex rotulo anni 1203: ibi enim manuum impositio reservabatur solis presbyteris ordinis majoris, sive ordinariis, ipso primicerio excluso, licet ipse aliquando cappellanos vel praepositos ecclesiarum praesentasset ordinanti Archiepiscopo; ita ut « imponerent manum coronae « sacerdotum, qui ordinabantur, prius Archipresbyter et presbyteri « Ordinarii, » primicerius vero, ut testatus est D. Jacobus Caxina presbyter ordinarius: « quando imponit manum, ultimo loco im- « ponit, et non habet ad imponendum manum, nisi vocatus fuerit » vel, ut alii testes et ipse Balbus Archipresbyter Ecclesiae Mediolanensis: « quod primicerius non vadit nisi in defectu presbyterorum « Ordinariorum ».

28. *Oratio ad ordinandum presbyterum:*

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc[os] famulum[os] suum[os], quem[os] ad presbiterii manus elegit, caelestia dona multiplicet...

29, *Alia:* Exaudi nos, quaesumus, Domine Deus noster; et super hunc[os] famulum[os] tuum[os] benedictionem sancti Spiritus, et gratiae sacerdotalis effunde virtutem: ut quem[os] tuae pietatis aspectibus offerimus consecrandum[os], perpetua muneris tui largitate prosequaris, per.

30. *Consecratio:* Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus *), honorum auctor, et distributor omnium dignitatum, per quem proficiunt universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturae rationalis incrementis per ordinem congrua ratione dispositum: unde et sacerdotales gradus atque officia levitarum sacramentis mysticis instituta creverunt: ut cum pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societates et operis adiumentum, sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeres. Sic in haeremo per septuaginta virorum prudentium mentem Moysi spiritum propagasti, quibus ille adiutoribus usus, in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic in Eleazarum et Ithamar paternae plenitudinis abundantiam transfudisti: ut ad hostias salutares et frequen-

3. suum: suos N.: C. — 4. *post* multiplicet, *erasum* per: C *vero addit:* et quod ejus dignatione suscipiunt ipsius consequantur auxilio. — 6. tuum: tuos N.: C. — 7. sacerdotalis effunde: spiritalis infunde. C. — 10. *Consecratio:* C vero legit: Oremus. *Et diaconus* Flectamus genua. Levate. *Consecratio.* — 17. societates: societatis. C. — 20. mentem: mentes. C. — 21. innumeras: innumerabiles. C. — 22. in Eleazarum et Ithamar: et Eleazaro et Ithamaro filiis Aaron. C.

28. Ord. Rom. 103, Leon. 424, Gel. 513 (22), Men. 224, Mur. 412, 426, Miss. Franc. 667, Gerb. 41, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

29. Leon. 424, Gel. 513 (23), Men. 224, Mur. 412, 426, Miss. Franc. 667, Gerb. 41, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

30. Ord. Rom. 103, Leon. 424, Gel. 513 (23), Men. 224, Mur. 412, 427, Miss. Franc. 667, Gerb. 41, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

*) Haec Consecratio in *Ord. Rom.* incipit: *Adesto, quaesumus, omni-*

tioris officii sacramenta ministerium sufficeret sacerdotum. Hac providentia, Domine, apostolis Filii tui doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis praedicatoribus impleverunt: quapropter infirmitati quoque nostrae, Domine, haec adiumenta largire; qui quanto magis fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quaesumus, Pater, in hunc[os] famulum[os] tuum[os] presbyterii dignitatem; innova in visceribus eius[orum] spiritum sanctitatis: acceptum a te, Deus, secundi meriti munus optinea[n]t; censuramque morum exemplo suae conversationis insinue[n]t. Si[n]t providus[i] cooperator[es] ordinis nostri; et luceat in eo[is] totius forma iustitiae, ut bonam rationem dispensationis sibi creditae redditurus[i] aeternae beatitudinis praemia consequantur, per. **)

31. *Consummatio presbyterii:*

Sit nobis, fratres, communis oratio; ut hi qui in adiutorium et utilitatem vestrae salutis eligi[un]tur, presbyterii benedictionem, divinae indulgentiae munere, consequa[n]tur: ut sancti Spiritus sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne impar[es] loco deprehenda[n]tur, obtinea[n]t.

32. *Item benedictio:*

Deus, sanctificationum omnium auctor, cuius vera con-

2. Hac: *1. ma.* Ac; *ma. poster. suppl.* H. — Domine: Domine, quaesumus. C. — 5. magis: *om. C.* — 7. Pater: omnipotens Deus. C. — tuum: tuos N.: C. — 9. acceptum: ut acceptum. C. — 11. et luceat: eluceat. C. — 13. sibi: *super lin. erasum* eis. — 16. hi *corr. ex* hii. — 18. munere: e *2. manu dubia inscriptum in* i *abraso seq.* s. — 20. impar[es] 1. *ma.* inpar, *ma. poster. add.* i *post* r *sed mendose, quare correximus substituendo* [es]. — 22. sanctificationum omnium auctor: sanctificator omnium. C.

potens Deus etc. **) Hoc loco *Ord. Rom.* addit quae ad traditionem vestitus sacerdotalis pertinent: sed haec A omisit cum Gel., addens tamen infra, ut coronidem totius ordinis, utpote recentioris institutionis, benedictionem cum traditur casula, et consecrationem manuum.

31. Ord. Rom. 104, Gel. 514 (24), Mur. 413, Miss. Franc. 668, Mart. Ord. II, III, IV, V.

32. Ord. Rom. 104, Gel. 514 (24), Mur. 414, 428, Miss. Franc. 668, Mart. Ord. II, III, IV, V.

secratio, plena benedictio est; tu, Domine, super hunc[os] famulum[os] tuum[os], N. quem[os] presbyterii honore dedicamus, manum tuae benedictionis... infunde: ut, gravitate actuum, et censura vivendi, probe[n]t se esse seniorem[s], his institutus[i] disciplinis, quas Tito et Tymotheo Paulus exposuit: ut in lege tua die et nocte, omnipotens, meditan[te]s, quod legeri[n]t creda[n]t, quod credideri[n]t docea[n]t, quod docueri[n]t imite[n]tur; iustitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, in se ostenda[n]t, exemplo probe[n]t, admonitione confirme[n]t: ut purus[i] atque immaculatus[i] mysterii tui dona custodia[n]t; et per obsequium plebis tuae corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforme[n]t; et inviolabili caritate in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, in die iustitiae aeterni iudicii, conscientia pura, fide plena, Spiritu sancto plenus[i] persolva[n]t, per.

33. *Hic vestis eum casula cum benedictione hac*:

Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti descendat super te, et sis benedictus in ordine sacerdotali, et offeras placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

34. *Consecratio manuum cum chrisma dicens:*

Consecrentur manus istae, quaesumus, Domine, et sanctificentur per istam unctionem et nostram invocationem: ut

1. plena: plenaque. C. — 3. manum: munus. C. — *ante* infunde *eras:* eum. — 4. esse: *om.* C. — 5. institutus[i] *corr. ex* institutis *r. ma. sed eras.* s *in fine.* — 9. exemplo probe[n]t, admonitione confirme[n]t: C *legit:* exemplo probent admonitionem et confirment. — 10. ut... dona: ac purum atque immaculatum ministerii sui donum. C. — purus[i] *corr. ex* purum. — immaculatus[i] *corr. ex* immaculatum. — 12. corpus: panem et vinum in corpus. C. — 14. iustitiae: iusti et. C. — 24. Consecrentur *Haec forma in* C. *variat: vide in praefatione ubi describitur codex.* — 25. nostram: *ma ser. in ras.*

33. Ord. Rom. 104, Men. 224, Mur. 414, 429, Mart. Ord. II, III, IV, V.

34. Ord. Rom. 104, Gel. 622 (148), Men. 225, Mur. 414, 429, Miss, Franc. 669, Gerb. 41, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

quaeque benedixerint, benedicta sint, et quaeque sanctificaverint sanctificentur. Amen.

35. *Et dat osculum episcopo ac sacerdotibus, et stat in ordine presbyterorum.*

AD ORDINANDUM EPISCOPUM.

36. *Post antiphonam* *) *sequitur oratio:*

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus: et quod humilitatis nostrae gerendum est ministerio, tuae virtutis impleatur effectu, per Dominum.

37. *Sequitur Apostolus et gradale.*

38. *Inde faciat verbum ad clerum seu ad plebem, dicens:*

Dilectissimi fratres, elegistis hunc N. presbyterum ad episcopatum.

Respondent clerus et populus tribus vicibus dicendo: Ipsum omnes elegimus *).

3. *ac:* corr. ex *a*. — 7. Adesto: Adesto, Domine. C. — omnipotens Deus: *om.* C. — 14. *populus:* 1. ma. poster.: *populo* sed mendose.

35. Ord. Rom. 104, Mart. Ord. I.

36. (Leon. 421, Gel. 624 (151), Miss. Franc. 670). Ord. Rom. 110, 117. Men. 225, Mur. 357, 438, 447, Gerb. 42, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI. *) Diligenti facta collatione cum ceteris Ordinibus editis, evidenter apparet in A servatam esse lectionem gregorianam. Licet omnes Ordines, utut diversissimi, ritus episcopalis Consecrationis essentiales servent prout eos refert gregoriana *benedictio Episcoporum* apud Muratori (II, 357-358), tamen inter gregorianos A minus a primitiva institutione discedit; imo, ut cetera suadent, vetustissimi codicis romani apographum se exhibet, sicut stylus ipsius rubricae ostendit, in qua nulla fit mentio hymni angelici, quippe qui recentioris instituti est in missa quoque romana; sed de his alii agant, cum nostri operis non sit primigeniam romani pontificalis lectionem restituere. Iam supra (p. 32) adverti quod, neque ex A, neque ex aliis codicibus ambrosianis, constat an sacri Ordines collati fuerint inter Missarum solemnia: ritus *ad ordinandum episcopum*, cuius preces essentiales, ut ita dicam, similes sunt praecedentibus pro presbyterorum ordinatione, novum calculum addit dirimendae quaestioni; nam in ipso legimus orationes ad missam, quae bene, ut etiam nunc fit, aptari poterant ritui nostro.

38. *) Haec electio mere caeremonialis erat: aliquando enim

Iterum dicat ordinator electi:
Est dignus et iustus hoc subire ministerium?
Respondent tribus vicibus: Dignus est, iustus est **).
39. *Iterum ordinator dicat:*
Auxiliante Domino nostro Jhesu Christo, et beato Petro

electi consecratio differebatur, et tunc electus, non amplius inter presbyteros, sed seorsim stabat in loco utique a ceteris episcopis distincto, ut notavit *Ennodius* (ed. Vogel, p. 122) in *Dictione* ad episc. Novarien. pro dedicatione basilicae apostolorum. **) Haec omnia ad primaevam ecclesiae disciplinam attinent, quam Ambrosius noster, distinguens electionem et postulationem, ut nimirum illa ad clerum, haec ad populum spectaret, apte significavit, tum in *epist. ad Thessalonicenses* (ed. Ballerini ep. XV, n. 12) tum in *epist. ad eccles. Vercellen.* (ib. ep. LXIII nn. 2 et 65). Nostrum non est jura recensere, quae communia habuit ecclesia nostra cum ceteris ecclesiis Italiae, tum quoad metropolitani electionem, tum quoad episcoporum suffraganeorum consecrationem, modo Romano Pontifici reservata; neque disserere de mutuae consecrationis usu episcoporum aquileiensis et mediolanensis (*ep. Pelagii I. Joanni Patricio caburtario:* ed. Migne t. LXIX p. 411) aut de inveterata iam aevo Gregorii Magni (*ep. ad Romanum patricium:* ed. Monum. Ger.: Reg. Gregor. I, p. 189) consuetudine consecrationis metropolitani mediolanensis faciendae per suffraganeos episcopos de consensu Romani Pontificis. Item praetermitto usum suffraganeos consecrandi in ecclesia metropolitana, quem refert *Ennodius* (*Vita Epifani*, ed. Vogel, p. 89); haec jam fuse attigerunt inter nostrates *Giulini*, *Memorie di Milano* (v. Indicem ad voc. *Arcivescovo di Milano*); *Sassi*, *Series Archiep. Mediol.*, et *Oltrocchius*, *Histor. Ligustica;* non nulla tamen praelibare juverit ex inedito rotulo an. 1203, iam superius allato, quae produnt stylum in ecclesia nostra saec. XII-XIII servatum, tum in electione archiepiscopi, tum in consecrationibus episcoporum, quae in ecclesia majori tantum fiebant non sine solemnitatibus, ut innuunt distributiones hac occasione fieri solitae, quamquam aliunde (uti ex *Beroldo* v. meae edit. praef. fol. XL et seq.) jam suppetat notitia. En ipsa verba singulorum testium secundum seriem in ms. servatam:

Testis Ugo de Ozola, Presbyter Ordinarius Mediolanensis Ecclesiae: « Item dixit quod quando Episcopus Terdonensis debebat consecrari, Primicerius qui modo est, ante consecrationem inceptam ivit « sedere in capite banci (diaconorum) de quo agitur, (v. n. 24, p. 44) « et dominus Archiepiscopus mandavit ei ut recederet: et iste dominus « Ugo de Ozola ivit et dixit ut recederet, et noluit recedere, et Archie« piscopus candellis accensis excommunicavit eum, et ivit facere conse-

apostolo intercedente, volumus hunc..... fratrem nostrum ordinare ad episcopatum, si vobis omnibus placet.

Respondent tribus vicibus: Placet nobis omnibus.

40. *Inde ad populum dicat:* Orate pro nobis.

41. *Et statim incipiat clerus letanias, et prosternat se ordinator cum electo et ceteris episcopis ante altare super stramenta, usque dum dicit scola:* Agnus Dei.

42. *Ut autem surrexerint, ponant evangelium super caput electi, et episcopi soli manus suas.*

43. *Et dicat ordinator*: Oremus.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato huic famulo tuo N. cornu gratiae sacerdotalis, benedictionis tuae in eum effunde virtutem, per.

1. *inter* hunc *et* fratrem, *lacuna pro signo* N. *quam rubricator omisit.* — 12. huic famulo tuo N: super hunc famulum tuum N.: C. — 13. in eum: in eo. C.

« crationem in ecclesia sancti Stephani; et postea Primicerius juravit « stare mandatis Domini Archiepiscopi..... Item dixit quod de conse- « crationibus episcoporum tantum habet Primicerius, quantum habet « unus de Ordinariis. Interrogatus quomodo scit? Respondit, quia au- « divi a Primicerio ; et Primicerius Lectorum dixit quod tantum ei dat; « et hoc ita fit, si Primicerius fuerit ad consecrationem. » *D. Guilielmus Balbus Mediol. Eccl. Archipresbyter* « juratus dixit... quod, « vacante sede Archiepiscopali, ipsi Ordinarii convocant clerum, et fa- « ciunt convocari Episcopos ad electionem Archiepiscopi faciendam. » *Jacobus Cassina Presbyter Ordinarius Eccl. Mediol., et praepositus s. Laurentii* « juratus dixit quod :.... Episcopi jurant fidelitatem Archi- « episcopo et Capitulo Mediolanensi, et quod non facient alienationem « sine parabola (licentia, v. *Ducange*) domini Archiepiscopi et Capituli « Mediolanensis totius vel majoris partis... Item dixit, quod, vacante « Sede Archiepiscopali, Archidiaconus vocat clerum, et facit convocari « Episcopos..... Interrogatus quos Episcopos fecit convocari? Re- « spondit: Episcopum Novariae, Episcopum Vercellensem, Episcopum « Turinensem, Episcopum Astensem, et alios... »

41. Ord. Rom. 110, Mart. Ord. I.

42. Ord. Rom. 110, 117, Gel. 619 (144), Mur. 439, 448, Gerb. 41, Miss. Franc. 661, Mart. Ord. II, III, IV, V.

43. Ord. Rom. 110, 117, Leon. 422, Gel. 624 (151), Miss. Franc. 670, Men. 225, Mur. 357, 439, 448, Gerb. 42, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.

44. *Post* Amen *dicat ordinator:*

Dominus vobiscum; *resp.:* Et cum spiritu tuo.

Et ille: Sursum corda; *resp.:* Habemus ad Dominum.

Et ille: Gratias agamus Domino Deo nostro; *resp.:* Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quae gloriae tuae sacratis famulantur ordinibus. Deus, qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affectu inter cetera caelestis documenta culturae, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter Sacra iussisti; ut intelligentiae sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinae tuae ulli deesset aetati, cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, et apud nos certiora essent experimenta rerum quam aenigmata figurarum. Illius namque sacerdotii anterioris habitus, nostrae mentis ornatus est; et pontificalem gloriam, non iam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum; *) quia et illa quae tunc carnalibus blandiebantur optutibus, ea potius quae in ipsis erant intelligenda poscebant. Et idcirco huic famulo tuo N. quem ad summi Sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quaesumus, Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multis modis operis varietate signabant, hoc in eius moribus actibusque clarescat. Comple in Sacerdote tuo N. mysterii tui sum-

8. Deus honorum... quae: Deus, honor omnium dignitatum, quae. C. — 9. quae: *corr. ex:* quem. — 10. affectu: affatu. C. — 15. et apud: apud. C. — veteres: *corr. ex* veteris. — 17. namque: *suppl. in actu scriptionis, partim sup. lin.* — 25. in multis modis: in multimodis. C.

44. Ord. Rom. 110, 117, Leon. 422, Gel. 625 (151), Men. 225, Mur. 357, 439, 448, Miss. Franc. 671, Mart. Ord. II, III, IV, V, VI.
*) S. Ambrosius in *epist. ad Vercellensem Ecclesiam* (l. c. n. 59) videtur alludere ad haec verba.

mam, et ornamentis totius glorificationis instructum caelestis unguenti flore sanctifica. Hoc, Domine, copiose in eius caput influat. Hoc in oris subiecta decurrat. Hoc in totius corporis extrema descendat; ut tui Spiritus virtus et interiora eius repleat, et exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Tribuas ei N. cathedram episcopalem ad regendam ecclesiam tuam et plebem universam. Sis ei auctoritas, sis ei firmitas, sis potestas. Multiplices super eum benedictionem et gratiam tuam: ut ad exorandum misericordiam tuam, tuo munere semper idoneus, tua gratia possit esse devotus, per.

45. *Et fundat oleum super caput eius in modum crucis dicens:*

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ungueo te in sacerdotem magnum ad regendam ecclesiam Dei, et plebem universam.

46. *Et det osculum ordinatori et ceteris episcopis.*

47. *Super oblata:* Haec hostia, Domine, quaesumus, emundet nostra delicta: et sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet, per.

48. *Infra actionem:* Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offerimus, etiam pro famulo tuo... quem ad episcopatus ordinem promovere dignatus es; quaesumus, Domine, ut placatus ac-

2. sanctifica: *C. hoc loco addit: Hic mittendum est chrisma in caput episcopi:* Unguatur et consecretur caput tuum caelesti benedictione, in ordine pontificali, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Pax tibi. Et cum spiritu tuo. Hoc Domine, etc. (cfr. *Mart. Ord. VIII, X*, etc.) — 6. pacis. Tribuas: C. *nonnulla interpolat:* pacis. Sint speciosi munere tuo pedes, etc... (*ut in Ord. IV, V et aliis apud Martene*) *usque ad verba:* ut fructum de profectu omnium consequatur. Tribuas. — 8. sis ei firmitas, sis potestas: *C. legit:* sis ei potestas, sis firmitas ei. — 10. exorandum: exorandam. C. — tuo munere semper: semper tuo munere. C. — 23. *post* tuo *lacuna pro signo* N.

45. Ord. Rom. 111.

46. Ord. Rom. 112.

47. Men. 226, Mur. 160, 358, Gerb. 42, Mart. Ord. II, VI.

48. Ord. Rom. 111, Leon. 421, Men. 226, Mur. 358, 442, Miss. Franc. 673, Gerb. 42, Mart. Ord. II, VI.

cipias, et propitius in eo tua dona custodias: ut quod divino munere consecutus est, divinis effectibus exequatur, diesque nostros.

49. *Ad complendum:* Haec nos communio purget a crimine, et caelestibus remediis faciat esse consortes, per.

AD PONTIFICEM ORDINANDUM.

50. *Quae addi debeant in consecratione, cuius initium est:* Deus honorum omnium, *ad locum:* et idcirco famulo tuo, quem apostolicae sedis praesulem et primatem omnium, qui in orbe terrarum sunt, sacerdotum, ac universalis ecclesiae tuae doctorem dedisti, et ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quaesumus, Domine, gratiam largiaris. *) Tribuas ei cathedram pontificalem ad regendam ecclesiam et plebem universam. per.

ORATIO
AD ABBATEM FACIENDUM
VEL ABBATISSAM. *)

1. Concede, quaesumus, omnipotens Deus: ut famulum tuum N. vel illam (sic), quem ad regimen animarum elegimus, gratiae tuae dono prosequere: ut te largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus, per.

19. ut famulum tuum: huic famulo tuo. C. — 20. elegimus: *ma. poster. corr.* eligimus *ut in* C. — gratiae tuae dono prosequere: gratiae donum. C. — prosequere: *ma. poster. corr.* prosequaris. — 21. placeamus: *eadem ma. posteriori sup. lin. add.* t *ad legendum* placeat.

49. Men. 226, Mur. 108, 358, Gerb. 42, Mart. Ord. II, VI.

50. Ord. Rom. 117, Pam. 387; Men. 226, Mur. 271, 448, Gerb. 42 (in nota), Mart. Ord. II, III. *) Hoc in loco *Ord. Rom.* habet rubr.: *Item post pauca.*

1. Ord. Rom. 156, Men. 168, 228, Mur. 267, Gerb. 93, Mart. Ord. I (418), III. *) In calce hujus codicis, (fol. CXXXI et seqq.), tamquam posterioris manus saec. X additio, reperitur *Ordo ad eligendum et ordinandum Abbatem:* omnes norunt quanta fuerit Abbatum potentia Medio Aevo; et quomodo eorum electio, vel confirmatio, quae solemni benedictionis ritu praecipue exprimebatur, ab episcopis in suis dioecesibus fieret: hinc in pontificali Archiepiscopi nostri opportune occurrunt haec duo documenta, quae diversam pro tempore disciplinam ecclesiae nostrae illustrant.

BENEDICTIO SUPER SACRAS VIRGINES SIVE VESTIMENTORUM EIUS.

1. Deus aeternorum bonorum fidelissime promissor, certissime prosolutor, qui vestimentum salutare et indumentum iocunditatis tuis fidelibus promisisti; clementiam tuam supplici-ter exoramus: ut haec indumenta humilitatem cordis et contemptum mundi significantia, quibus famulae tuae visibiliter sunt informandae, propitius proposito benedicas: ut beatae castitatis habitum, quem te aspirante suscipiunt, te protegente custodiant; et quas vestibus venerandae promissionis induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri, per.

ITEM ORATIO SUPER ANCILLAS DEI QUIBUS CONVERSIS VESTIMENTA MUTANTUR.*)

2. Te invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, super has famulas tuas, quae tibi voluerunt servire puris mentibus puroque corde: ut eas sociare digneris inter illa centum quadraginta quatuor millia infantum, qui virgines permanserunt, et se cum mulieribus non coinquinaverunt; in quorum ore dolus inventus non est. Ita et has famulas tuas facias permanere immaculatas usque ad finem, per immaculatum Jhesum Cristum Dominum nostrum cum quo vivis et regnas in unitate.

5. prosolutor: persolutor. C. — 7. contemptum: *corr. ex* contemptu. — 8. famulae: *corr. ex* familiae, *ut in* C *et editis*. — visibiliter... benedicas ut: C *legit:* sancto visibiliter sunt informandae proposito, propitius benedicas, et. — 10. suscipiunt: susceperint. C. — 16. voluerunt: voverunt. C. — 17. puroque: mundoque. C. — eas: illas iam. C. — 19. coinquinaverunt: *corr. ex* quoinquinaverunt. — 22. Jhesum Christum Dominum nostrum: C *legit:* Dominum nostrum Jhesum Christum. — 23. regnas: regnas Deus. C.

1. Ord. Rom. 154, 158. Gel. 631 (157), Men. 167, Mur. 451, Gerb. 93, 95, Mart. Ord. I.

2. Ord. Rom. 166, Gel. 631 (158), Mur. 453, Gerb. 97, Mart. Ord. I, II. *) Haec benedictio in Ord. Rom., l. c., reperitur sub rubr.: « Consecratio Virginum, quae a saeculo conversae, in domibus « suis susceptum castitatis habitum privatim observare voluerint. »

CONSECRATIO SACRAE VIRGINIS
QUAE IN EPIPHANIA
VEL IN SECUNDA FERIA PASCHAE
AUT IN APOSTOLORUM NATALI CELEBRATUR. *)

1. *Sequitur oratio:* Respice propitius, Domine, super hanc famulam tuam: ut virginitatis sanctae propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat, per.

5. propitius, Domine: Domine, propitius. C.

*) Gel. 629 (156), Men. 167, Gerb. 95, 101. Tota haec rubrica, licet cum editis codicibus gelasianis concordet, tamen utpote genninum partum Gelasii non crederem; id ipsius pontificis verba in *epist. IX ad Episcopos Lucaniae c. XII,* suadent: « Devotis quoque « Deo virginibus nisi aut in Epiphaniarum die, aut *in albis paschalibus* aut in Apostolorum natalitiis, sacrum minime velamen impo« nant, nisi forsitan (sicut de baptismate dictum est) gravi languore « correptis, ne sine hoc munere de ecclesia exeant, implorantibus « non negetur. » *Albae paschales* apud *Gelasium* latius patent quam simplex *feria II* in editis sacramentariis gelasianis. Solemnis virginum consecratio die Paschatis et Epiphaniae (quae primitus cum ipsa Nativitate unum festum constituebat) commemoratur ab ipso Ambrosio, cujus verba refero, cum ex ipsis innotescat insuper ritus mutandi vestes: *De virginib. l. III, c. I.* « ....cum Salvatoris Natali ad apostolum « Petrum (basilicam) virginitatis professionem, vestis quoque mutatione « signares..... » et in *Exhortat. virginitat.* c. VII, n. 42. « Venit Pa« schae dies; in toto orbe baptismi sacramenta celebrantur, velantur « sacrae virgines: uno ergo die sine aliquo dolore multos filios et « filias solet Ecclesia parturire. » In calce hujus codicis, posteriori manu saec. X addita est *Benedictio Virginis ad Episcopo dicenda,* constans oratione: *Respice,* et consecratione: *Deus castorum* etc. (aliquantulum breviata, ut in Gregor.): ibi tamen nullum tempus assignatur ad eundem ritum peragendum; ita ut vetus disciplina in hac parte, Mediolani ea aetate desueta videatur.

1. Ord. Rom. 159, Leon. 444, Gel. 629 (156) Men. 167, Mur. 184, Gerb. 95, 101, Mart. Ord. I, III.

2. *Item benedictio:*

Deus, castorum corporum benignus habitator, et incorruptarum Deus amator animarum; Deus, qui humanam substantiam in primi hominis diabolica fraude viciatam, ita in Verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primae originis innocentiam revoces, sed etiam ad experientiam quorundam bonorum, quae in novo saeculo sunt habenda, perducas; et obstrictos adhuc conditione mortalium, iam ad similitudinem provehas angelorum, respice, Domine, super hanc famulam tuam, quae in manu tua continentiae suae propositum conlocans, tibi devotionem suam offert, a quo ipsa vota adsumpsit. Quando enim animus mortali carne circumdatus legem naturae, libertatem licentiae, vim consuetudinis, et stimulos aetatis evinceret, nisi tu per liberum arbitrium hunc amorem virginitatis clementer accenderis, nisi tu hanc cupiditatem in eius corde benignus aleres, nisi tu fortitudinem ministraris. Effusa namque in omnes gentes gratia tua ex omni natione, quae est sub caelo, in stellarum innumerabilem numerum novi testamenti haeredibus adoptatis, in caeteras virtutes, quas filiis tuis, non ex sanguinibus nec voluntate carnis, sed de tuo Spiritu genitis indidisti, etiam hoc donum in quorundam mentes de largitatis tuae fonte defluxit; et cum honorem nuptiarum nulla interdicta minuissent, ac super sanctum coniugium initialis benedictio permaneret, existerent tamen sublimiores animae, quae in viri ac mulieris copula fastidirent conubium, concupiscerent sacramentum; nec imita-

4. primi hominis: primis hominibus. C. — 5. eam non solum: non solum eam. C. — 8. sunt: *om.* G. — 15. clementer: *om.* C. — 16. nisi: *corr. ex voce sine sensu:* rose (sic): C *om.* — 17. nisi: *om.* C. — namque: *corr. ex* nra quae. — 19. in: *corr. ex* et, *ut in* C *et editis.* — 20. in: inter. C. — 21. nec: neque ex. C. — 22. quorundam: quasdam. C. — 23. honorem: *corr. ex* honore. — 25. initialis: *corr. ex* initiales.

2. Ord. Rom. 159, Leon. 444, Gel. 629 (158), Men. 167, Mur. 184, 452, Miss. Franc. 674, Gerb. 95, 101, Mart. Ord. I, II, III.

rentur quod nuptiis agitur, sed diligerent quod nuptiis praenotatur. Agnovit auctorem suum beata virginitas, et aemula integritatis angelicae, illius thalamo, illius cubiculo se devovit, qui sic perpetuae virginitatis est sponsus, quemadmodum virginitatis est filius. Imploranti ergo auxilium tuum, Domine, et confirmari se benedictionis tuae consecratione cupienti, da protectionis tuae munimen et regimen, ne hostis antiquus, qui excellentiora studia subtilioribus infestat insidiis, ad obscurandam perfectae continentiae palmam per aliquam mentis serpat incuriam, et rapiat de proposito virginum, quod etiam moribus decet inesse nuptiarum. Sit in ea, Domine, donum Spiritus tui: prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas. In caritate ferveat, et nihil extra te diligat; laudabiliter vivat, laudarique non appetat. Te in sanctitate corporis, te in animi sui purificet *(sic)* amore, te timeat, amore te serviat. Tu ei honor sis, tu gaudium, tu voluntas, tu in moerore solacium, tu in ambiguitate consilium, tu in iniuria defensio; in tribulatione pacientia, in paupertate abundantia, in ieiunio cibus, in infirmitate medicina. In te habeat omnia, quem diligere appetit super omnia; et quod est professa custodiat, scrutatori peccatorum non corpore placitura, sed mente. Transeat in numerum sapientium puellarum, ut caelestem sponsum accensis lampadibus cum oleo praeparationis expectet; nec turbata improvisi regis adventu, secutura cum lumine, ut praecedentium choro iungatur, occurrat, nec exclaudatur cum stultis; regalem ianuam cum sapientibus virginibus licenter introeat, et in agni tui perpetuo comitatu probabilis mansura castitate permaneat, per.

4. virginitatis: perpetuae virginitatis. C. — 7. ne hostis antiquus: *cum* C *et editis corr. ex:* de hoste antiquo, *quo in casu nullus est sensus verborum quae sequuntur.* — 12. donum: per donum. C. — 13. gravis: *corr. ex:* gravi. — 15. animi sui: animae suae. C. — 16. purificet: *ex incuria amanuensis pro:* puritate glorificet. *ut in* C. — ei honor: honor ei. C. — 22. scrutatori: *corr. ex* scrutari. — 23. numerum: *r. ma.* numero, *deinde corr. ma. dubia.* — 25. secutura: sed secura. C. — 26. ut praecedentium choro iungatur: C *legit:* et praecedentium choro iocanter. — nec: ne. C.

ITEM ORATIO AD MISSAM EIUSDEM.

3. Da, quaesumus, Domine, famulae tuae quam virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis consummatum effectum: et ut perfectam tibi offerat plenitudinem, initia sua perducere mereatur ad finem, per.

4. *Secreta:* Oblatis hostiis, Domine, quaesumus, praesenti famulae tuae perseverantiam perpetuae virginitatis accommoda: ut, apertis ianuis, summi regis adventu cum laetitia mereatur intrare, per.

5. *Infra actionem*: Hanc igitur oblationem famulae tuae illius quam tibi offert ob diem natalis sui in quo eam tibi socians, sacro velamine protegere dignatus es, quaesumus, Domine, propiciatus sanctifica: ut tibi, Domino ac sponso suo venienti, cum lampade suo inextinguibili placitura occurrere mereatur.

6. *Post communionem:* Respice, Domine, famulae tuae tibi deditam servitutem: ut inter humanae fragilitatis incerta, nullis adversitatibus opprimatur, quae de tua protectione confidit, per.

ITEM ALIA EIUSDEM.

7. Preces famulae tuae illius, quaesumus, Domine, benignus exaudi: ut et sumptam castitatis gratiam, te auxiliante, custodiat, per.

8. *Secreta:* Votivis, quaesumus, Domine, famulae tuae illius adesto muneribus: ut te custode servata, haereditatem benedictionis aeternae percipiat, per.

4. perfectam: *corr. ex* perfectum. — 8. adventu: *corr. ex* adventum. — 11. offert: *corr. ex:* offeret.

3. Gel, 631, (159), Men. 168, Mur. 453, Mart. Ord. V, IX.
4. Gel. 632 (159), Men. 168, Mur. 453, Mart. Ord. V, IX, X.
5. Gel. 632 (159), Mart. Ord. V,
6. Leon. 405, Gel. 632 (159), Men. 168, Mur. 454, Mart. Ord. X.
7. Ord. Rom. 162, Gel. 633 (160).
8. Gel 633 (160).

9. *Infra actionem:* Hanc igitur oblatam (sic) famulae tuae ill. quam tibi offerimus ob diem natalis eius, quo eam sacro velamine protegere dignatus es, quaesumus, Domine, ut placatus accipias; pro qua maiestati tuae supplices fundimus preces: ut in numero earum sanctarum virginum trans *(sic)* praecipias ut tibi Sponso venienti, cum lampade suo inextinguibili possit occurrere, atque intra regna caelestia claustra gratias tibi referat, choro sanctarum virginum sociata: quam oblationem.

10. *Post communionem:* Deus qui habitaculum tuum in corde pudico fundasti, respice super famulam tuam illam: et quae castigationibus assiduis postulat, tua consolatione percipiat, per.

6. trans percipias: *lege cum ed. gelas.:* transire praecipias. — 12. castigationibus: *corr. ex* castigationis.

9. Ord. Rom. 166, Gel. 633.
10. Gel. 634 (160), Mur. 454.

BENEDICTIO VIDUAE
QUAE FUERIT CASTITATEM PROFESSA.

1. Consolare, Domine, hanc famulam tuam viduitatis languoribus constrictam, sicut consolari dignatus es Seraptenam viduam per Helyam prophaetam. *) Concede ei pudicitiae fructum, ut antiquarum non memineat *(sic)* voluptatum. Nesciat etiam incentiva desideria, ut soli tibi subdat propria colla; quo possit pro laboribus tantis sexagesimum gradum percipere, munus delectabile sanctitatis.

BENEDICTIO VESTIMENTORUM VIDUAE.

2. Visibilium et invisibilium rerum creator, Deus, adesto propitius, ut haec indumenta sanctitatis effigiem ostendentia, desuper gratia tua inrigante, benedicere et sanctificare digneris, per.

3. *Alia:* Aperi, quaesumus, Domine, oculos maiestatis tuae ad benedicendam hanc viduitatis vestem: ut quae, inordinatis vestibus, viri sui usibus placuit, in sacris indumenta *(sic)* benedictionis tuae servire mereatur, per.

4. *Alia:* Deus castitatis amator, et continentiae conservator, supplicationem nostram benignus exaudi, et hanc famulam tuam propitius intuere: et quae pro timore tuo continentiae pudicitiam vovit, tuo auxilio conservetur; et sexagesimum fructum continentiae et vitam aeternam, te largiente, percipiat, per.

3. languoribus: laboribus. C. — 4. consolari: *corr. ex* consolare. — 6. ut: *om.* C. — memineat: meminerit. C. — 7. incentiva: incentiva viciorum. C. — 9. sanctitatis: sanctitatis, per. C.

1. Ord. Rom. 167, Gel. 726 (271), Mur. 454, Miss. Franc. 676, Gerb. 93, 98, Mart. Ord. I (529). *) Cfr. III, Reg. XVII; Luc. IV, 26.
2. Ord. Rom. 167, Gerb. 98, Miss. Franc. 675, Mart. Ord. I, III.
3. Ord. Rom. 167, Gerb. 98, Mart. Ord. III.
4. Ord. Rom. 161, Gel. 632 (159), Mart. Ord. I (529), III.

BENEDICTIO
AD ORDINANDUM REGEM. *)

Oratio.

1. Exaudi, Domine, preces nostras, et famulum tuum N, ad regendum francorum imperium, constitue: ut per te incipiat regere, et per te fideliter regnum custodiat, per.

Consecratio.

2. Prospice, omnipotens Deus, serenis obtutibus hunc gloriosum famulum tuum N: sicut benedixisti Abraham, Isaac et Jacob, sic illum largis benedictionibus spiritalis gratiae cum omni plenitudine, tua potentia, inrigare atque perfundere digneris: ut tribuas ei de rore caeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini et olei,

10. largis: *corr. ex* largiris.

*) Omnes rerum historicarum scriptores, absque ulla controversia, narrant coronam auream Romae regibus francorum tradi solitam ab ipsis Summis Pontificibus. Ritus noster ad hoc videtur compositus, et suamet simplicitate (qua nota caret *ritus in unctione regum Francorum* ex *cod. Ratoldi abb.* (saec. X) editus a Menard, p. 257 et seq.) commendatur utpote genuinus romanus ordo. Hinc mea confirmatur sententia, codicem nostrum censeri posse apographum authentici codicis ipsius Romanae ecclesiae. Porro in altero codice metropolitano B. saec. XI reperitur *alius ordo coronationis;* sed de eo sermo apposite instituetur ad huius voluminis calcem, ubi integer edetur cum nonnullis aliis ordinibus pro regum coronationibus, tum ineditis, tum editis, ut uno volumine exhibeantur varii pro tempore ritus servati ab Archiepiscopis nostris, quibus haec benedictio inter metropoliticas praerogativas spectabat.

1. Ord. Rom. 153, Mart. Ord. III (577) Ord. VI.
2. Ord. Rom. 149, 153, Mur. 460, Mart. Ord. III (577).

et omnem frugum opulentiae ex largitate divini muneris longa per tempora: ut illo regnante sit sanitas corpori in patria, pax inviolata sit in regno, et dignitas gloriosa regalis palatii maximo splendore regiae potestatis oculis omnium luce clarissima coruscare atque splendescere, quasi splendidissima fulgora maximo perfusa lumine, videantur. Tribue ei, omnipotens Deus, ut sit fortissimus protector patriae, et consolator ecclesiarum atque coenobiorum sanctorum, maxima pietate regalis munificentiae; atque ut sit fortissimus regum, triumphator hostium ad opprimendas rebelles et paganas nationes; sitque suis inimicis satis terribilis proxima *(sic)* fortitudine regalis potentiae: optimatibus quoque atque praecelsis proceribus ac fidelibus sui regni sit munificus et amabilis et pius, et ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per successiones temporum futurorum egrediantur, regnum regere francorum: et post gloriosa tempora atque felicia praesentis vitae gaudia, sempiterna in perpetua beatitudine habitare mereatur.

3. *Et mittat pontifex coronam aurcam super caput eius, his verbis dicens:*

Accipe coronam a Domino Deo tibi praedestinatam: habeas, teneas, atque possideas, et filiis tuis post te in futurum ad honorem, Deo auxiliante, derelinquas.

4. *Sequitur oratio:* Oremus.

Deus, Pater aeternae gloriae, sit adiutor tuus, et omnipotens benedicat tibi: preces tuas in cunctis exaudiat, et vitam tuam longitudo dierum adimpleat: thronum regni tui iugiter firmet, et gentem populumque tuum in aeternum conservet: inimicos tuos confusione inducat *(sic)*, et super te Christi sanctificatio floreat: ut qui tibi tribuit in terris imperium, ipse in caelis conferat praemium, per.

15. successiones: *corr. ex* successionis. — 30. *post* qui *abras.* d.

3. Ord. Rom. 153, Mart. Ord. III (577).
4. Ord. Rom. 153, Mur. 461, Mabill. Ord. XIV, 401.

MISSA PRO REGIBUS.

5. Deus omnium regnorum, et maxime francorum protector imperii, da servo tuo regi nostro N. triumphum virtutis tuae scienter excolere: ut cuius constitutione est princeps, eius semper munere sit potens, per.

6. *Super oblata:* Suscipe, Dominé, preces et hostias ecclesiae tuae pro salute famuli tui N. supplicantis; et in protectione fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula: ut, superatis pacis inimicis, secura tibi serviat christiana libertas.

7. *Ad complendum:* Deus, qui praedicando aeterni regni evangelio francorum imperium praeparasti, praetende famulo tuo N. principi nostro arma caelestia: ut pax ecclesiarum nulla turbetur tempestate bellorum, per.

5. Gel. 731 (276), Pam. 426, Mur. 459, Gerb. I, 276, Mart. Ord. I, Mabill. Ord. XIV, 400.

6. Gel 731 (277), Pam, 427, Mur. 459, Gerb. I, 277, Mart. Ord. I, Mabill. Ord. XIV, 400.

7. Gel. 731 (277), Pam. 427, Mur. 459, Gerb. I, 277, Mart. Ord. I, Mabill. Ord. XIV, 401.

ORATIONES
AD SPONSAS BENEDICENDAS. *)

1. Exaudi nos, omnipotens et misericors Deus; ut quod nostro ministratur officio, tua benedictione potius impleatur, per. *)

*) Benedictio nuptialis occurrit in Pontificali nostro, quia forte adhibebatur in nuptiarum principum benedictione, quae, cum ab Archiepiscopis nostris fieret, illis praesto non erat in codicibus ambrosianis, ut fusius in sequenti nota explicabitur.

1. Ord. Rom. 177, Leon. 446, Gel. 723 (267), Men. 266, Mur. 244, Gerb. 45, Mart. Ord. I, III. *) Orationes ad Missam in codice nostro (qui totum ritum mutuatus est a Gregoriano, ut in editis a Mur. ac Gerb., l. c.) eaedem sunt quae occurrunt in Leoniano, et in cod. ambrosiano saec. XI, sign. *A 24 inf.*, qui inter Missalia Ambros. antiquissima solus praebet Missam pro sponsis, adhibita oratione ***Propitiare*** etc. ut secunda oratione ***super sindonem***. Missa pro sponsis in ceteris codicibus ambrosianis usque ad saec. XIV deficit; et in illis qui eandem exhibent, desideratur ***benedictio*** super sponsos, quae varia occurrit, at raro in Missalibus saec. XV (cfr. cod. ambros. sign. *E 18 inf.* et cod. metropolit. an. 1402, et edit. 1475, 1488, 1505, 1522, 1560), aliquando in Ritualibus sacramentorum post saec. XIV (ut in codd. ambrosianis *T. 104*, *T. 110*, et in cod. metrop. olim sign. *H. 62*). Licet sacramentaria Romanae Ecclesiae habeant ritum in benedictione nuptiarum, tamen advertenda est discrepantia inter Leonianum, Gelasianum et Gregorianum; insuper in Leoniano, ubi, uti dixi, occurrunt eaedem orationes ad Missam atque in Ambrosiano, et in ipso vulgato Ordine Romano, benedictio nuptialis non praecedit orationem post communionem ut in Gelasiano, sed post eandem ponitur; ita ut, meo saltem judicio, ritus nuptialis ab initio, ut in Ambrosiano, sola Missae celebratione constaret, accedente (ad similitudinem Ordinis consecrationis virginum qui praecedit) formula propria benedictionis in ***nuptiali velatione***. S. Ambrosius revera (*de Virg. c. XV*) de utroque velo, virginali et nuptiali ita scribit: « Utinam possem revocare nupturas; utinam possem « ***flammeum nuptiale*** pro ***integritatis*** mutare ***velamine*** »; et licet in sua *epist. XIX n. 7* suadeat ut « ipsum coniugium ***velamine*** sacer- « dotali et ***benedictione*** sanctificari oporteat », tamen non existimarem hoc in loco indicari formulam propriam benedictionis, sed tantum divinum sacrificium, iuxta illud Pauli, *I Cor. X.*: « Calix ***benedictionis***

2. *Super oblata:* Suscipe, quaesumus, Domine, pro sacro conubio (*sic*) lege munus oblatum: et cuius largitor es operis, esto dispositor, per.

3. *Praefacio:* Vere, etc. Qui foedera nuptiarum blando concordiae iugo et insolubili pacis vinculo nexuisti; ut adoptionem *(sic)* filiorum sanctorum conubiorum fecunditas pudica servaretur. Tua enim Domine providentia, tua gratia utrumque dispensat: ut quod generatio mundi edidit ad ornatum, regeneratio ad Ecclesiae perducat augmentum: et ideo.

4. *Infra actionem:* Hanc igitur oblationem famulorum tuorum, quam tibi offerent pro famula tua illa, quam perducere dignatus es ad statum mensurae et ad diem nuptiarum, pro qua maiestati tuae supplices effundimus preces, ut propitius cum viro suo copulare digneris; quaesumus, Domine.

5. *Ante quam dicatur:* Pax Domini, *dicit orationem istam:* Propiciare, Domine, supplicationibus nostris, et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus adsiste: ut quod te auctore iungitur, te auxiliante servetur, per.

6. *Benedictio:* Deus, qui potestate virtutis tuae de nihilo cuncta fecisti; qui, dispositis universitatis exordiis, homini ad imaginem Dei facto ideo inseparabile mulieris adiutorium condidisti, ut foemineo corpori de virili dares carne

5. iugo: *corr. 1. ma. ex* jugum. — 6. fecunditas: *corr. ex* faccunditas. — 21. potestate: *post 2.* e *abras.* m.

« cui benedicimus »; unde exurgeret vetus disciplina ambrosiana, quam confirmant tot codices ambrosiani, in quibus desideratur benedictio nuptialis, sequiori aetate, uti supra notavi, a Gregoriano passim desumpta, et adhuc in editionibus typicis Ritualis et Missalis Ambrosiani ritus servata, a Missa omnino disiuncta.

2. Ord. Rom. 177, Leon. 446, Mur. 244, Gerb. 45.
3. Gel. 721 (265), Men. 263, Mur. 245, Gerb. 45, Mart. Ord. I.
4. Ord. Rom. 177, Mur. 245, Gerb. 45.
5. Ord. Rom. 177, Mur. 245, Gerb. 45, Mart. Ord. III.
6. Ord. Rom. 177, Mur. 245, Gerb. 45, Mart. Ord. III.

principium, docens, quod ex uno placuisset institui, numquam liceret disiungi; Deus, qui tam excellenti mysterio coniugalem copulam consecrasti, ut Christi Ecclesiae sacramentum praesignares in foedere nuptiarum: Deus, per quem mulier iungitur viro, et societas principaliter ordinata ea benedictione donatur, quae sola nec per originalis peccati poenam, nec per diluvii est ablata sententiam: respice propitius super hanc famulam tuam, quae maritali coniungenda consortio, tua se expetit protectione muniri. Sit in ea iugum dilectionis et pacis; fidelis et casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat foeminarum: sit amabilis ut Rachel viro, sapiens ut Rebecca, longaeva et fidelis ut Sarra. Nihil in ea ex actibus suis ille auctor praevaricationis usurpet; nexa fidei mandatis permaneat uni thoro iuncta; contactus inlicitos fugiat; muniat infirmitatem suam robore disciplinae. Sit verecunda, gravis, pudore venerabilis, doctrinis caelestibus erudita: sit fecunda in sobole: sit probata et innocens, et ad beatorum requiem atque ad caelestia regna perveniat; et videat filios filiorum suorum usque in tertiam et quartam progeniem; et ad optatam perveniat senectutem, per.

Pax Domini sit semper vobiscum.

7. *Ad complendum:* Quaesumus, omnipotens Deus, instituta providentiae tuae pio amore comitare: ut quos legitima societate connectis longaeva pace custodias, per.

4. Deus: *amanuensis signum* qs *scripsit pro* ds, *quare correxi cum editis.* — 5. *post* mulier *in fine pag. abras:* con. — 6. donatur: *corr. ex* donatu. — 25. connectis: *corr. ex* conectis.

7. Ord. Rom. 177, Leon. 446, Men. 263, Mur. 246, Gerb. 45, Mart. Ord. I.

ITEM ORATIO SUPER HOMINEM QUI A DAEMONIO VEXATUR. *)

1. Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus prophaetarum, Deus apostolorum, Deus martyrum, Deus virginum, Deus Pater Domini nostri Jhesu Christi, invoco nomen sanctum tuum, ac praeclarae maiestatis tuae clementiam; ut mihi auxilium praestare digneris adversus hunc nequissimum spiritum: ut ubicumque latet, audito nomine tuo, velociter exeat et recedat.

Ipse tibi imperat, diabole, qui ventis et mari vel tempestatibus imperavit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum redire praecepit. Audi ergo, et time, satanas: vinctus et prostratus abscede, in nomine Domini nostri Jhesu Christi. Tu ergo nequissime satanas, inimicus fidei, generis humani mortis raptor, iustitiae declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, perditor gentium, incitator invidiae, origo avaritiae, causa discordiae, excitator dolorum, daemonum magister, quid stas et resistis, cum scis eum tuas perdere vires? Illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Joseph venumdatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde triumphatus: recede in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; et da locum Spiritui sancto, per hoc signum crucis Christi

3. prophetarum: pro *suppl. ma. poster.* — 6. clementiam: *ma. poster. suppl. in marg.* — 8. spiritum: m. *ma. poster. in ras. loco* s *abras.* — 13. Tu: *corr. ex* Te. — 20. homine: *post* e *abras* m. — triumphatus: us. *ma. poster. sup.* o.

*) Nil mirum quod in codice in usum Episcopi nostri conscripto inveniatur ritus exorcismorum; ipse Ambrosius noster, in *epist. XXII ad Marcellinam, manus impositionem* super obsessos a daemone veluti ab Episcopo factam bis commemorat.

1. Gerb. 128, 133, Mart. Ord. II, III.

Domini nostri, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit in saecula saeculorum. Amen.

2. *Alia:* Deus conditor et defensor generis humani, qui hominem ad imaginem et similitudinem tuam manibus tuis sanctis et proprio tuae divinitatis ore formasti; respice super hunc famulum tuum, qui dolis invidiae serpentis adpetitur; quem vetus adversarius et hostis antiquus atrae formidinis errore circumvolat, et sensum mentis humanae stupore defugit, terrore conturbat, et metu trepidi timoris exagitat. Repelle, Domine, virtutem diaboli, fallacesque eius insidias; procul impius temptator effugiat; sit in nominis tui signo famulus tuus et animo tutus et corpore. Tu pectoris huius interna custodias, tu viscera regas, tu corda confirmes. In anima adversarii potestatis temptamenta evanescant. Da ad hanc invocationem nominis tui gratiam, ut qui hucusque terrebat, territus abeat, et victus abscedat; tibique possit hic servulus tuus, corde firmato et mente sincera, debitum praebere famulatum, per.

3. *Alia:* Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, osanna in excelsis, Pater Domini nostri Jhesu Christi, qui illum refugam tyrannum gehennae deputasti; qui Unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem leonem contereret velociter; adtende, adcelera, ut eripias hominem, tuis formatum manibus, a ruina et daemonio meridiano. Da Domine, terrorem tuum super bestiam, quae exterminavit vineam tuam: da fiduciam servis tuis contra nequissimum draconem fortiter stare, ne contemnat sperantes in te, et dicat sicut in Faraone iam dixit: Deum non novi,

7. vetus *inter* e *et* t *rasura unius litterae.* — atrae: *corr. ex* ad re. — 10. fallacesque eius: *2. ma.* que *et* ejus. — 12. tutus: *1. ma.* tuus: *ma. poster. suppl.* t. — pectoris: is *al. ma. in rasura litt.* a. — 13. interna: *inter* n *et* t *rasura.* — 14. anima: *ma. poster.* ma. *in ras.* — evanescant: *1. ma.* vaniscant; *corr. ma. poster.* — 16. abeat: *corr. ex* habeat. — 23. adcelera: *corr. ex* adscelera — 27. contemnat: *corr. ex* contempnat.

2. Gerb. 128, 133, Mart. Ord. II, III.
3. Gerb. 128, 130, Mart. Ord. I, III.

nec Israel dimitto. Urgeat illum, Domine, dextera tua potens discedere a famulis tuis, ne diutius praesumat captivum tenere hominem quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es.

Adiuro te ergo, serpens antique, per iudicem vivorum et mortuorum, per factorem mundi, per eum qui habet potestatem mittere te in gehennam, ut ab hoc famulo Dei, qui ad Ecclesiae Dei praesidia concurrit, cum metu exercitus furoris tui festinus discedas. Adiuro te, non mea infirmitate, sed in virtute Spiritus sancti; ut desinas ab his, quos omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede, cede, non mihi sed mysteriis Christi: illius te urguet potestas, qui te adfigens cruci suae subiugavit: illius brachium contremesce *(sic)*, qui debitis gemitibus inferni animas ad lucem produxit.

Sit tibi terror corpus hominis; sit tibi formido imago Dei; nec resistas, nec moreris discedere ab homine, quoniam complacuit Christo ut in homine habitaret: et ne me infirmissimum contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Dominus; imperat tibi maiestas Christi; imperat tibi Dominus Pater, imperat tibi Filius, et Spiritus sanctus; imperat tibi fides apostolorum sancti Petri et Pauli et caeterorum apostolorum; imperat tibi indulgentia confessorum; imperat tibi martyrum sanguis; imperat tibi sacramentum crucis; imperat tibi mysteriorum virtus. Exi transgressor, exi seductor, plene omni dolo et fallacia, veritatis inimice, innocentiae persecutor. Da locum, durissime; da locum, impiissime, da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis; qui te expoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te vinctum ligavit et vasa tua disrupit, qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum ministris tuis erit praeparatus interitus. Sed quid nunc, turbulente, recogitas? quid temerarie retractas?

2. discedere: *corr. ex* discere. — 8. praesidia: id, *ma. poster. in ras.* — 18. contemnendum: *corr. ex:* contempnendum. — 25. transgressor,: *2* r. *suppl. al. ma. inter.* g *et* e.

Reus omnipotenti Deo, cuius statuta transgressus es: reus Filio eius Jhesu Christo, quem temptare ausus es, et crucifigere praesumpsisti: reus humano generi, cui mors tuis persuasionibus venit. Adiuro te ergo, draco nequissime, in nomine Agni immaculati, qui ambulavit super aspidem et basiliscum, qui conculcavit leonem et draconem; ut discedas ab homine, discedas ab Ecclesia Dei. Contremesce et effuge, invocato nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui Virtutes caelorum et Potestates et Dominationes subiectae sunt, quem Cherubyn et Seraphin indefessis vocibus laudant.

Imperat tibi Verbum caro factum. Imperat tibi natus ex Virgine. Imperat tibi Jhesus nazarenus, qui te, cum discipulos eius contemneres, elisum et prostratum exire iussit ab homine; quo praesente, cum te ab homine separasset, nec porcorum gregem praesumebas contingere. Recede ergo nunc adiuratus in nomine eius, ab homine quem ipse plasmavit. Durum tibi est contra stimulum calcitrare, quia quicquid tardius exis, supplicium tuum crescit; quoniam, non hominem contemnis, sed illum qui dominator vivorum et mortuorum est, qui venturus est iudicare saeculum per ignem. *Amen.*

14. contemneres elisum: *corr. ex* contempneris aelysum. — 16. contingere: *suppl. ma. poster. sup. lin.* — 20. contemnis: *corr. ex* contempnis.

ORATIO
AQUAE EXORCIZATAE IN DOMO.

1. Exorcizo te, creatura aquae, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jhesu Christi Filii eius Domini nostri: ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare cum angelis suis apostaticis, per.

2. *Exorcismus salis et aquae, benedicendum* (sic):

Exorcizo te, creatura salis, per Deum vivum, per Deum sanctum, per Deum totius creaturae, qui te per Eliseum prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaret steriles; qui per apostolum Paulum dicere dignatus est: sit cor vestrum sale conditum; ideoque efficere sal exorcizatum ad evacuandum et expellendum inimicum, omnemque virtutem et putredinem eius. In nomine Domini nostri Jhesu Christi, qui venturus est.

3. *Alia oratio:* Deus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus praeparato virtutem tuae benedictionis effunde: ut creatura mysterii tui tibi serviens ad abiiciendos daemones, morbosque pellendos, divinae gratiae sumat effectum: ut quicquid in domibus in locis fidelibus haec unda resperserit, careat inmundicia, liberetur a noxia. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiae latentis inimici; et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, asper-

21. abiiciendos: *corr. ex* abiciendos. – 22. sumat: *corr. ex* summat.

1. Pam. 464, Men. 233, Mur. 225, Gerb. 65: cfr. sup. p. 4, n. 5 et seq.
2. Gel. 739 (286), Men. 233, Mur. 225, Gerb. 65.
3. Gel. 738 (285), Pam. 464, Men. 233, Mur. 225, Sacr. Gall. 953, Gerb. 65.

sione huius aquae effugiat: ut salubritas per invocationem tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa, per Dominum.

4. *Benedictio:* Omnipotens sempiterne Deus, insere te officiis nostris, et in hac manentibus domo praesentiae tuae concede custodiam: ut familiae tuae defensor, ac totius habitaculi huius habitator appareas, per.

5. *Alia oratio:* Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et famulos tuos, quos caritatis visitamus officiis, gratiae tuae largitate locupleta: ut in eorum prosperitate continua gaudeamus, per Dominum.

ORATIO AD FRUGES NOVOS. *)

1. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui caelum et terram, mare et omnia creasti, te supplices, quaesumus: ut hunc fructum novum benedicere et sanctificare digneris, et multiplicare abundanter offerentium *(sic)* tibi: ut repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti et vini; ut laetantes in eis, referant tibi, Deo omnipotenti, laudes et gratias.

BENEDICTIO UVAE SIVE FAVAE.

2. Benedic, Domine, hos fructus novos uvae sive favae, quos tu, Domine, per rorem caeli et inundantiam pluviarum et tempora serena atque tranquilla ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum cum gratiarum actione. In nomine Domini nostri Jhesu Christi, per quem haec.

22. rorem: *corr. ex* rore. — inundantiam: *corr. ex* inundantia. — 24. actione: *post* e *abras.* m.

4. Gel. 738 (284), Gerb. I, 307.

5. Gel. 736 (283).

*) Quae sequuntur orationes veluti in duas classes distingui debent: prima pro benedictione esculentorum; altera pro benedicendis singulis cellis vel cubiculis alicuius monasterii forte noviter erecti.

1. Men. 234, Mur. 228.

2. Gel. 746 (294), Pam. 467, Men. 234, Mur. 228, Gerb. I, 308.

BENEDICTIO PANIS.

3. Benedic, Domine, creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut sit Dominus eiusdem abundans in annum alimentum, gustantesque ex eo accipiant tam corporis, quam animae sanitatem, per.

BENEDICTIO VINI.

4. Domine Deus omnipotens, et Christe Jhesu, qui ex quinque panibus et duobus piscibus quinque milia hominum saciasti, et in Chana Galileae ex aqua vinum fecisti, qui es vitis vera, multiplica super servos et ancillas tuas misericordiam pietatis tuae, quemadmodum fecisti cum patribus nostris in tua misericordia sperantibus: ut benedicere et sanctificare digneris hanc creaturam vini, quam ad substantiam servorum tuorum tribuisti; praesta, ut ubicumque ex hac creatura fusum fuerit, vel a quolibet potatum, divinae benedictionis tuae opulentia repleatur: ut accipientibus ex ea cum gratiarum actione sanctificetur in visceribus eorum, per.

BENEDICTIO POMORUM.

5. Benedic, Domine, hanc creaturam arborum, quae de tua larga pietate ad perfruendum dare dignatus es; praesta, clementissime Pater, ut dum his in nomine Trinitatis vescimur fructibus, sempiterna benedictione tua pascamur, per.

BENEDICTIO AD OMNIA QUAE VOLUERIS.

6. Benedic, Domine, creaturam istam: ut sit remedium salutare generi humano; praesta per invocationem nominis tui, quicumque ex ea sumpserit, corporis santitatem et animae tutelam percipiat, per.

7. Domine: *ex incuria amanuen. litera capitalis* B *pro* D. — 16. opulentia: *corr. ex* oppulentiae. — 24. remedium salutare: *corr. ex* remedio salutaris.

3. Pam. 467, Men. 234, Mur. 229, Gerb. I, 308, II, 92.
4. Gerb. I, 308.
6. Pam. 467, Men. 234, Mur. 229, Gerb. I, 308.

ORATIO AD INTROITUM MONASTERII.

1. Domine Jhesu Christe, qui introitum portarum Hyerusalem salvans sanctificasti; dum splendore gemmarum duodecim, totidem apostolorum nomina praesignasti; et qui per organum prophaeticum promisisti: Lauda Hyerusalem Dominum, quia confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te; Te, quaesumus, Domine, ut ponas omnes fines domus ipsius sancti illius pacem, ut velociter currens interius sermo tuus, adipe frumenti saciet eos. Spiritus sanctus defendat illos, ut numquam eis nocere praevaleat inimicus; sed omnes habitantes interius voce, corde et opere decantent dicentes: Magnus Dominus noster Jhesus Christus, et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus, qui cum Patre.

ORATIO, INTROEUNTES IN BASILICAM.

2. Viam sanctorum omnium, Jhesu Christe, qui ad te venientibus claritatis gaudia contulisti, introitum templi istius Spiritus sancti luce perfunde, qui locum istum sanctorum martyrum tuorum sanguine consecrasti: praesta, omnipotens, ut omnes isti in te credentes, obtineant veniam pro delictis suis, ab omnibus liberentur angustiis, impetrent quicquid petierint pro necessitatibus suis, placere semper praevaleant coram oculis tuis; quatenus per te et sanctum illum tuum militem muniti mereamur aulam paradisi introire, Salvator mundi, qui vivis.

ORATIO IN SACRARIO.

3. Omnipotens et misericors Deus, qui sacerdotibus tuis prae ceteris tantam gratiam contulisti, ut quicquid in tuo nomine digne perfecteque agitur, a te fieri creditur, quaesumus, ergo immensam clementiam tuam: ut quod modo visitaturi sumus, visites; quicquid benedicturi sumus benedi-

3. splendore gemmarum: *corr. ex* splendorum geminarum. — 6. seras: *abras.* r *inter* e *et* r. — 11. omnes: *corr. ex* omnia. — 13. sapientiae: *corr. ex* sapientia. — 19. *post* tuorum: *abras.* a.

1. Pam. 472.
3. Mur. 230, 471.

cas; sit ad nostrae humilitatis introitum, sanctorum tuorum meritis, fuga daemonum, angeli pacis ingressus, per.

ORATIO IN DORMITORIO.

4. Benedic, Domine, hoc famulorum tuorum dormitorium; qui non dormis neque dormitas, qui custodis Ihsrael, famulos tuos huic domui quiescentes post laborem custodi ab inlusionibus fantasmaticis Satanae: vigilantes te in praeceptis tuis meditentur; dormientes te per soporem sentiant, qui Jacob in somnis apparuisti innixus scalae, per.

ORATIO UBI VESTIMENTA CONSERVANTUR.

5. Omnipotens et misericors Deus, qui populo tuo ex Aegypto educto donis mirificis contulisti inmeritum; immo et hos famulos ab ignorantia tenebrarum liberatos, ut ad aeterna proveheris, temporalia dona dicasti abunde, quaesumus, te: ut quod tua pietas largienter eis tribuit, clementer conservet, per.

ORATIO IN REFECTORIO.

6. Omnipotens et misericors Deus, qui famulos tuos alis; refectionis carnalis cybum vel potum, te benedicente, cum gratiarum actione accipiant: hic et in aeternum, per te salvi esse mereamur, per te, Filius Dei qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO IN CELLARIO.

7. Omnipotens et misericors Deus, qui per cuncta diffusus es, Maiestatem tuam humiliter deprecamur: ut huic promptuario gratia tua adesse dignetur, qui cuncta adversa ab eo repellat, et abundantia (*sic*) benedictionis tuae largiter infundat, per.

ORATIO IN POCIONARIO.

8. Omnipotens et misericors Deus, sempiterna dulcedo, et aeterna suavitas, te humiliter quaesumus: ut hoc poci-

1. ad nostrae humilitatis: *corr. ex* adeo humilitas. — 4. dormitorium: *corr. ex* dormitorio. — 7. fantasmaticis: *corr. ex* fantasmatice. — vigilantes: *corr. ex* vigilante. — 19. carnalis: *corr. ex* carnali. — vel: *corr. in actu scriptionis ex* et. — 30. hoc pocionarium: *corr. ex* hic pocionario.

4. Pam. 469, Mur. 231.
6. Pam. 469, Mur. 231.
7. Pam. 469, Mur. 231.

narium et omnes laborantes in eo benedicas, Domine, benedictionis tuae abundantia, qua qui haec odoramenta naribus corporis discernunt labentia, prohibentiam continentes, aeterna perfruantur cum gloria sempiterna, per.

ORATIO IN QUOQUINA *(sic)*.

9. Deus aeterne, ante cuius conspectum adsistunt angeli, fulgent hi, et omne pompae carisma (*sic*) quicquid in rota continet mundi, adtamen necessaria humanae miseriae tui clarissimi conspiciunt oculi; habitaculum istius officinae illa benedictione perfunde, qui per manus Haelisei in olla errantis gustus amarissimos dulcorasti *): ut sufficiente pasto habitantes repleti semper tibi laudes referant, Christe, qui das omnem escam carni, et reples omnem animam benedictione: qui regnas cum Patre et Spiritu sancto, Salvator mundi.

ORATIO IN LARDARIO.

10. Omnipotens et misericors Deus, qui necessitatem humani generis clementer providens adminicula temporalia contulisti, humiliter imploramus, ut benedicere digneris hoc lardarium famulorum tuorum: ut quod hic tua misericordia pie contulit, merito non depereat.

ORATIO IN PISTRINO.

11. Sanctificetur istud hospitium, ut fugetur ab eo immundus spiritus per virtutem Domini nostri Jhesu Christi: detur omnibus in eo commorantibus sanitas, claritas, hilaritas, protegente ac conservante maiestate tua, omnipotens Deus per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

1. benedictionis tuae abundantia qua: *corr. ex* benedictioni tuae abundantiam quam. — 2. odoramenta: *corr. ex* aut ornamenta. — 6. Deus: *corr. ex* Da. — 7. pompae... quicquid: *corr. ex* pompa... qui quid. — 10. errantis: *corr. ex* errantia. — 11. amarissimos: *corr. ex* amarissimus. — 17. adminicula: *corr. ex* annicula. — 19. quod: *corr. ex* qui. — 22. fugetur: *corr. ex* fuget. — 25. maiestate tua: *corr. ex* maiestati tuae.

9. Pam. 471, Mur. 233.
10. Pam. 471, Mur. 233. *) cfr.: IV. Reg. IV, 41.
11. Pam. 471, Mur. 233.

SERMO
IN DEDICATIONE ECCLESIAE.*)

Quotiescumque, fratres charissimi, altaris vel templi festivitatem colimus, si fideliter et diligenter adtendimus, et sancte ac juste vivimus, quicquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spiritali aedificatione completur. Non enim mentitus est ille qui dixit: Templum enim sanctum est, quod estis vos; et iterum: Nescitis quia corpora vestra templum est Spiritus sancti: quibus meritis per gratiam Dei meruimus fieri templum Dei. Quantum possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, nec Deus noster in templo suo, hoc est in nobis ipsis, inveniat quod oculos suae maiestatis offendat; sed habitaculum cordis nostri evacuetur vitiis, ut virtutibus repleatur; claudatur diabolo, et aperiatur Christo; et ita laboremus, ut nobis bonorum operum clavibus januam regni caelestis aperire possimus. Sicut enim malis operibus, quasi quibusdam seris ac vectibus, vitae nobis janua clauditur, ita absque dubio bonis operibus aperitur. Et ideo, fratres charissimi, unusquique consideret conscientiam suam: et quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, prius orationibus, jejuniis, vel aelemosynis studeat mundare conscientiam suam; et sicut Eucharistiam praesumat accipere. Si enim agnoscens reatum suum, ipse se a divino altare sub-

13. evacuetur: *corr. ex* evacuatur.

*) Duo sermones qui prima manu, sed litteris minutioribus, exerati extant in codice nostro, juxta diversam lectionem inter spurios vel S. Augusti (ed. *Migne* tom. 39, coll. 2166 et 2171) vel S. Maximi Taurinen. (ed. *Migne*, tom. 57, coll. 879 et seqq.) recensentur: lectio codicis nostri cum lectione edit. Opp. S. Maximi convenire, diligenti facta collatione, apparet. — Hos sermones iam indicavi in n. 54, p. 24.

duxerit, cito ad indulgentiam divinae misericordiae praeveniet. Quia, sicut qui se exaltat humiliabitur, ita contrario qui se humiliat exaltabitur. Qui enim, sicut dixit, ita reatum suum ipse se humiliter ab altare ecclesiae pro emendatione vitae removere voluerit, ab aeterno illo et caelesti convivio excommunicari penitus non timebit. Rogo vos, fratres, diligenter attendite: si ad mensam cuiuscumque potentis hominis nemo praesumit cum vestibus conscissis et inquinatis accedere; quanto magis a convivio aeterni regis, id est ab altare Domini, debet se unusquisque invidiae vel odii veneno percussus, iracundiae furore repletus, cum reverentia et humilitate subtrahere, propter illud quod scriptum est: Vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum; et iterum: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Hic enim habet textus evangelicae lectionis, quod quidam fecerit nuptias filio suo, et intraverit ut videret simul recumbentes; et videns ibi hominem non habentem vestem nuptialem, dixit ad eum: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Et illo obmutescente, dixit ministris: Ligate illi manus et pedes, et proicite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium. Ecce qualem sententiam merebitur audire qui ad convivium nuptiale, id est altare Domini, aut aebriosus aut adulter, aut odium in corde retinens praesumit accedere. Avertat hoc a nobis Deus, fratres charissimi, et concedat ut mala ista aut nunquam velimus ammittere, aut si admissa fuerint, sine ulla mora per poenitentiam vel pacem studeamus sanare, et largioribus elemosynis festinemus abluere; ne forte si cum peccatorum vulneribus ante tribunal aeterni Judicis venerimus, ab illa aeterna Ecclesia et ab illa caeleste Hyerusalem perpetua excommunicatione separemur. Considerate ergo, rogo vos fratres, si hodie aliquis a conventu Ecclesiae hujus pro aliquo crimine foris projiciatur, in quanto dolore vel tribulatione erit anima ejus? Et si in-

3. Qui: *corr. ex* Quia. — 20. illi: *corr. ex* illis. — 26. admissa: *corr. ex* amissa. — 33. quanto: *corr. ex* quantum.

tolerabilis dolor est de ista Ecclesia foris projici, ubi ille qui projicitur, et manducare et bibere et cum hominibus loqui potest, et habet spem ut iterum mereatur ad Ecclesiam revocari; quid putamus qualis dolor erit, si aliquis pro criminibus ab Ecclesia, quae est in coelis, a conventu angelorum vel sanctorum omnium congregatione fuerit separatus? Cui nec hoc solum sufficit ad poenam, quod foris proicitur; sed insuper in tenebras exteriores aeterno incendio concremandus excluditur? (*sic*) Qui enim ab illa caelesti Hyerusalem excomunicare meruerit, non solum hoc poenam habebit, quod nec manducare nec bibere poterit; sed etiam flammas infernales sustinebit: ubi est fletus et stridor dentium; ubi ululatus, lamentatio et poenitentia sine ullo remidio; ubi est vermis ille qui non morietur; et ignis qui numquam exstinguetur; ubi mors quaeritur, et non invenietur: quia quibus in hoc saeculo vita offertur et nolunt accipere, in inferno quaerunt mortem, et non poterunt invenire. Ibi erit nox sine die, amaritudo sine dulcedine, obscuritas sine lumine: ubi nec divitiae, nec parentes, nec coniuges, nec filii, nec vicini poterunt subvenire; ubi nihil peccator inveniet, nisi quod de hoc saeculo caste et juste vivendo per eleemosynarum largitatem transmiserit. Haec ergo cogitantes, fratres charissimi, tam casti et tam sobrii et tam pacifici ad istud altare, Deo auxiliante, studeamus accedere, ut ab illo aeterno altare non mereamur excludi. Qui enim ad istud altare casto corpore et mundo corde cum secura et munda conscientia venerit, ad illud altare, qui in caelis est, felici transmigratione perveniet. Ad extremum, fratres charissimi, non est grave nec laboriosum quod suggero: hoc dico, quod vos frequenter facere aspicio. Omnes viri quando communicare desiderant, lavant manus suas; et omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant. Non est grave quod dico,

4. aliquis: *corr. ex* aliquid. — 14. ignis qui: *corr. ex* ignis quae. — 17. inferno: *corr. ex* infernum. — 23. istud: *corr. ex* isto. — 25. istud: *corr. ex* isto. — 27. ad illud: *corr. ex* ab illo. — 31. exhibent linteamina: *corr. ex* exibentiamina.

fratres: quomodo viri lavant de aqua manus suas, sic de eleemosynis lavent conscientiam suam; similiter et mulieres, quomodo nitidum exhibent lentiolum (*sic*), ubi corpus Christi accipiant, sic corpus castum et cor mundum exhibeant: ut cum bona conscientia Christi sacramenta suscipiant. Rogo vos, fratres; numquid est aliquis, qui in arca sordibus plena velit mittere vestem suam? Et si in arca sordibus plena vestis non mittitur preciosa, qua fronte in anima, quae peccatorum sordibus iniquinatur, Christi Eucaristia suscipiatur? Et quia istis vilissimis exemplis loqui caepimus, etiam et hoc quod bene nostis insinuo. Non puto esse aliquem hominem, qui in arca sua, ubi pretiosas vestes habet repositas, adquiescat aut carbonem vivum aut qualemcumque scintillam includere. Quare hoc, fratres? Quia timet ne comburatur vestimenta quibus in festivitatibus induitur. Rogo vos, fratres: qui in archam suam non vult scintillam ignis includere, quare in animam suam flammam iracundiae non timet accendere? Sed quare hoc fiat, manifeste et evidenter agnoscimus. Ideo enim in archa ignem non mittimus, quia diligimus vestem nostram: flammam vero iracundiae ideo non exstinguimus, quia non solum non diligimus, sed etiam odio habemus animam nostram; secundum illud quod scriptum est: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Et ideo, fratres charissimi, exempla ista adtentius cogitantes arcellas interiores, id est conscientias nostras, quantum possumus, cum Dei adiutorio custodire diligentius studeamus: ut, cum dies iudicii venerit, in illa aeterna et beata Ecclesia, ubi numquam habitare poterit malus, ubi numquam exiturus est bonus, non cum pannis veteribus foris in tenebris exteriores exclusi appareamus; sed stola immortalitatis induti, castitatis et iustitiae gemmis ornati, eleemosinarum luce vestiti audire mereamur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum; et illud: Serve bone et fidelis, intra in gaudium domini tui. Ad quod gaudium nos Dominus sua protectione perducat, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

UNDE SUPRA. *)

Recte festa ecclesiae colunt, qui se Ecclesiae filios cognoscunt. Haec enim omnium credentium mater est, quae natos ad mortem, regenerat ad salutem; per quam Christus plus restituit ad gratiam, quam periit in natura; et ad transgressoris degenerem prolem, et adoptionem divinae paternitatis adsumsit; et de paradiso exhaeredatos, caeli reddit haeredes. Haec post Synagogam quidem vocata, sed ante Synagogam promissa. Haec enim iam in primo homine praefigurata est. Nam sicut ex Adae latere facta est Eva; ita ex Christi corpore et vulnere redempta crevit Ecclesia. Haec intra archam diluvio exundante servata, crucis beneficium et baptismatis mysterium praesignavit. Hanc Sarra sterilis et despecta in senectute unico pignore foecunda praececinit: Ecclesia enim unicum, id est dilectissimum Deo populum, saeculo iam senescente progenuit. Haec est regina illa de qua ad Deum dicitur: Adstetit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate, id est, diversarum circumdata praecioso decore virtutum. Haec est illa regina quae venit a partibus Ethiopiae audire sapientiam Salomonis: sed haec, non tam ex una regione quam ex universis mundi partibus regis paritura (*sic*) convenit: sicut etiam evangelista commemorat: Regina austri venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis. Venit Ecclesia ad redemptorem et eruditorem suum, ut de stultitia erroris doctrinam perficeret veritatis, de qua plenius, sicut audivimus, regnorum scribit historia, ita dicens: Et ingressa regina Saba Hyerusalem cum multo comitatu et divitiis, cum camelis portantibus aromata, et aurum infinitum

4. regenerat: *corr. ex* regenerans.

*) Hac rubrica in cod. A. incipit sermo alter: unde forte apparet contextum desumptum fuisse ab unico tractatu, ex quo amanuensis descripsit primum sermonem.

nimis, et gemmas pretiosas, venit ad Salomonem, et locuta est ei universa quae habebat in corde suo. Ergo in figura huius reginae venit Ecclesia ex gentibus imponens finem cupiditatibus vitiisque terrenis, audire Salomonis sapientiam, id est viri pacifici Domini nostri Jhesu Christi, qui fecit utraque unum, solvens inimicitias inter Deum et hominem in carne sua. Venit post veteres et profanas superstitiones, audire et discere de fidei inluminatione et iudicio futuro, de animae inmortalitate, de spe resurrectionis et gloria. Venit ergo in Jherusalem cum multu comitatu, id est, non iam cum una tantum gente Judaeorum, sicut prius synagoga solos habuit haebreos; sed totius mundi gentibus, diversisque nationibus. Venit ergo exhibens munera digna Christo, aurum et gemmas praetiosas; et hoc camelis portantibus, id est, ex gentili populo venientibus; qui prius fuerant vitiorum foeditate distorti, et malorum oneri curvi, ac peccatorum pravitate deformes: cum his tamquam muneribus regina haec ingreditur ad pacificum regem Christum, exhibens secum fidei aurum, puritatis incensum praetiosum, splendoresque gemmarum, scilicet insignia ornamenta virtutum. Et locuta est ei universa quae habebat in corde suo, id est aperuit ei cor suum, manifestavit ei occulta conscientiae suae in confessione et poenitudine praecedentium delictorum. Videamus quid agat haec regina. Videns, inquam, regina Sabaa omnem sapientiam Salomonis, et domum quam aedificaverat, et cibos mensae eius, et holocausta quae offerebat in domo, non habebat ultra spiritum. Quid erat rationis, ut praepotens regina domum, expensas, et cibos regios tantopere miraretur? Ergo hoc loco aliqua majora nos oportet inquirere. Vidit ergo Ecclesia ex gentibus congregata sapientiam Christi, id est, post carnalia instituta gentilium, post humanam et animalem doctrinam phylosophorum accepit intellectum salutis; vitae inspexit spiritalium mirabilia

8. inluminatione: *corr. ex* inluminationem. — 16. fuerant: *corr. ex* fuerat. — 29. tantopere: *corr. ex* tanto per.

bonorum; agnovit virum fabricatorem caeli ac terrae, et potentissimum humani generis conditorem, de cuius sapientia dicitur: Omnia in mensura in pondere et numero constituisti. Vidit et domum quam aedificaverat, id est, incarnationis hominis assumti; de qua domo dicit apostolus: In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Vidit et cibos Salomonis, id est, velut illud de quibus dicebat: Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me Patris: Cibus Christi est salus nostra: reficitur caelestibus epulis, profectibus nostri. Cibus eius sumus, dum adquisiti Ecclesiae in membra ejus corpusque transimus, vel cibi eius altaris sacramenta caelestia de quibus dicitur: Panem caeli dedit eis, panem angelorum manducavit homo. Vidit et holocausta ejus: orationum sine dubio supplicationumque mysteria, et obstupuit; ibi vidit inaestimabiles divitias Domini sui, dixitque ad regem: Verus est sermo quem audieram in terra mea super sermonibus tuis, et super sapientia tua; et non credebam narrantibus, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuisset. Majora sunt sapientia et opera tua, quam rumor quem audivi. Cum ergo pervenerit regina haec, sive Ecclesia sive quaeque anima sancta, cum pervenerit ad aeternam Hyerusalem, id est, visionem pacis, et ingressa fuerit beatam requiem et gloriam caelestium promissorum, multo plura et magnificentiora perspicient, quam ei sunt in hac terra per sacra eloquia, per prophetas atque apostolos nuntiata: nunc enim tanquam speculo et in enigmate; tunc autem oculis suis videbit, id est, facie ad faciem. Cum inquam unaquaeque anima fidelis et sancta in illo saeculo plena bonorum operum fructibus exhibens in se, immo seipsam ex imo (*sic*) Deo suo praeferens digna caelum, et valetur (*sic*) caelum multiplicia numera gemma misericordiae, iustitiae margaritas, diversorum odoramenta meritorum, id est aromata compunctionis et suaveolentis balsamum castitatis praeferens, sicut dixit,

27. speculo: *corr. ex* speculum.

aurum infinitum nimis, id est integrum in se reconsignant pio inaestimabile pretium redemptori, spiritalibus cordis et corporis oblationibus placitura ut possit caelestium mirabilium inserenda vocem propheticae exultationis adsumere: Introibo in domum tuam cum holocaustis; tunc beata et inlustris anima inter stupendas remuneratoris sui constituta divitias ineffabilibus reginae huius verbis uti ad Deum poterit dicens: Maiora sunt opera tua quam rumor quem audivi; hoc est dicere: O Domine, de retributionibus tuis magna quidem sperare praesumpsi, sed maiora percepi. Vincit manifeste quam cerno dulcedinis magnitudinem: cogitationis meae sensum superat expectationis affectum. Et revera id quod parat Deus diligentibus se, fide non comprehenditur, spe non adtingetur, caritate non capitur, desideria et vota transgreditur; adquiri potest, aestimari non potest. Videbit homo merita sua ob insuspicabilem retributionum largitatem decrescere: habebit de perceptione fructuum, non habebit de sacietate fastidium. Ad quae bona nos perducat, qui vivit et regnat in saecula saeculorum *Amen.* *)

BENEDICTIO IN DEDICATIONE ECCLESIAE. *)

1. Deus pietatis exordium atque perfectio, respice super hanc familiam tuam: atque eam armis spiritalibus, integra munitione, confirma. *Amen.* Ut galea salutis capita fida circumtegat: clipeus fidei pectorum archana conservet: continentia lumbos pretiosa pudoris zona circumdet. *Amen.*

4. vocem: *corr. ex* voce. — 7. verbis: *corr. ex* verbi. — 10. Vincit manifeste: *corr. ex* vince manifesta. — 13. Deus: *corr. ex* Deo. — 16. ob insuspicabilem retributionum largitatem: *cum editis corr. ex* insuspicabilem retributionem largitate.

*) Quae sequuntur, tum ex forma caracterum, tum ex distributione foliorum, ad Pontificale nostrum diversis temporibus accessisse patet, attamen ante saec. XI, uti iam supra notavi in annotatione orationum ad Abbatem benedicendum (p. 54) et ad Consecrationem Virginum (p. 56): forte nonnullae benedictiones ad saec. IX referri debent, uti *a* uncialis formae occurrens in seq. bened., ad verba: *ad regnum*, indicare videtur.

1. *) De his benedictionibus episcopalibus in Missa pontificali iam

Ut caelesti septa praesidio et excubiis vallata spiritualibus, aeterni regis castra introeat. *Amen.* Quod ipse praestare dignetur, cuius regnum et imperium sine fine permanet in saecula saeculorum. *Amen.*

Ille vos benedicat de caelis, qui per crucem et sanguinem passionis suae nos venire dignatus est redimere in terris. *Amen.* Ille vos benedicat, protegat atque defendat cunctis diebus vitae vestrae, et perducat vos ad regnum gloriae suae, quem omnes gentes venturum expectant esse iudicem. *Amen.*

[CANON MISSAE]. *)

2. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et iustum.

V. D. Aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum: per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, Caeli caelorumque virtutes ac beata Seraphin socia exultatione, concelebrant: cum quibus et nostras voces, ut admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Dominus Deus Sabaoth.

Te igitur clementissime Pater, per Jhesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus et petimus uti accepta habeas et benedicas haec † dona, haec † munera, haec † sancta sacrificia inlibata, in primis quae tibi offerimus,

10. [CANON MISSAE] *suppl. in hac edit.* — 26. Haec... etc.: *super singulas voces:* Haec *inscriptum est signum* †; *et sic deinceps omnia signa* † *habentur sup. lin.*

diximus supra, in recensione codicis B, in quo a fol. 103 expressae sunt benedictiones pro nonnullis, hisque principalibus, anni festivitatibus. — Notetur hanc formulam tribus diversis manibus esse exaratam: secunda manus incipit ad verba: *capita fida;* tertia a verbis: *cuius regnum.* — Alia formula occurrit infra post Canonem Missae.

2. *) Canon noster cum Greg. edit. a Mur. convenit, licet ex citatis nominibus Hilarii et Martini apographus cod. gallicani censeri debeat.

pro ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare custodire adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo papa nostro ill. Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, et omnium circumadstantium, quorum fides tibi cognita est, et nota devotio, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae tibi reddunt vota sua aeterno Deo vivo et vero. Communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper virginis Mariae, genitricis Dei et Domini nostri Jhesu Christi, sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum, Petri, Pauli, Andreae, Iacobi, Iohannis, Thomae, Iacobi, Philippi, Bartholomei, Mathei, Symonis et Datdei (*sic*). Lini, Cleti, Clementis, Syxti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrisogoni, Johannis et Pauli, Cosmae et Damiani, Hilarii, Martini, et omnium sanctorum tuorum quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio, per Christum dominum nostrum. Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum iubeas grege numerari, per Christum dominum nostrum. Quam oblationem tu Deus in omnibus quaesumus be†nedictam as†scriptam, ra†tam rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui, Domini nostri Jhesu Christi, qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, elevatis oculis in caelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, Be†nedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes, Hoc est enim corpus meum. Simili modo postea quam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, Be†nedixit.... **)

**) Cetera desiderantur, nam in fol. verso abraso al. ma. saec. X ponitur: *Benedictio in dedicatione ecclesiae;* unde deduci potest Ca-

BENEDICTIO IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

3. Omnipotens Deus, qui vos hodierna die ad dedicationem istius aulae dignatus est adunare, ipse vos caelesti benedictione dignetur locupletare. *Amen.*

Concedatque vobis fieri templum suum, et habitaculum Spiritus sancti, qui proprium Filium suum Dominum nostrum Jhesum Christum pro vobis elegit immolari. *Amen.*

Quatenus mente et corpore purificati habitatorem Deum in vobismetipsis semper habere possitis; et aeternae beatitudinis hereditatem cum sanctis et electis eius possidere valeatis. *Amen.*

Quod ipse prestare dignetur.

BENEDICTIO VESTIUM VIRGINIS ET VIDUAE.*)

4. Deus, qui vestimentum salutare, et indumentum aeternae iocunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus: ut haec indumenta humilitatem cordis, et contemptum mundi significantia, quibus famula tua illa sancto visibiliter est informanda proposito, propitius benedicas, et beatae castitatis habitum, quem te inspirante susceperit, te protegente custodiat, per.

5. *Alia:* Deus bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, exaudi preces nostras, et hanc vestem, quam famula tua illa pro conservandae castitatis signo ad operiendum exposcit, benedicere et sanctificare di gneris, per.

nonem Gregorianum in Ecclesia nostra, aut nunquam usitatum fuisse, aut si quando, brevi tempore derelictum.

3. Mur. 488 et 489.

*) Hae duae orationes cum seq. bened. eadem ma. exaratae sunt: forte unum eundemque ordinem constituebant; certe a Greg. (Mur., l. c.) sunt cum seq. bened. desumptae.

4. Mur. 183, Gerb. 103, (cfr. Men. 167).

5. Men. 167, Mur. 184, Gerb. 95, 103.

BENEDICTIO VIRGINIS
AB EPISCOPO DICENDA.

1. Respice, Domine, propitius super hanc famulam tuam illam: ut sanctae virginitatis propositum, quod te inspirante suscepit, te gûbernante custodiat, per.

Consecratio.

2. Deus castorum corporum benignus inhabitator, et incorruptarum amator animarum, respice super hanc famulam tuam illam, quae tibi devotionem suam offert, a quo et ipsa idem votum adsumpsit. Sit in ea, Domine, donum Spiritus tui, prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas: ferveat in caritate, et nihil extra te diligat, laudabiliterque vivat, et laudari non appetat: te timeat, tibi amore serviat: tu ei honor, tu gaudium, tu in moerore solatium, tu in ambiguitate consilium, tu in iniuria defensio, in tribulatione pacientia, tu in paupertate abundantia, in ieiunio cibus, in infirmitate sis medicina. Per te, quem diligere super omnia appetit, quod est professa custodiat: ut et hostem antiquum devincat, et vitiorum squalores expurget, quatenus centesimu fructu dono virginitatis decorari, virtutumque lampadibus exornari, et electarum tuarum virginum consortio, te donante, mereatur uniri, per.

6. *Consecratio:* corr. ex *Consecrata.* — 10. idem: *corr. ex* eundem.

1. Ord. Rom. 159, Leon. 444, Gel. 629 (156), Men. 167, Mur. 184, 452, Gerb. 101, Mart. Ord. V.
2. Men. 167, Mur. 184, Mart. Ord. I, II, III.

ORDO

AD ELIGENDUM ET ORDINANDUM ABBATEM.*)

1. *Omnibus adstantibus fratribus legatur electio: et de laude fratrum confirmata, iterum legatur in ecclesia in pulpitu, et eligatur a plebe. Tunc induant se vestibus sacris ordinator et ordinandus, et revertantur in capitulum.*

2. *Tunc deducatur in ecclesiam ordinandus, hanc antiphonam decantando: Ant.* Confirma hoc Deus. *Psalmus.* Exurgat Deus; *et tunc prosternant se ante altare ordinator et electus, ceteris septem psalmos decantantibus; et sequantur laetaniae. Cum vero dixerint:* Agnus Dei, *surgat ordinator, et dicat hanc orationem:*

3. Actiones nostras, quaesumus, Domine, et aspirando praeveni, et adiuvando prosequere: ut cuncta nostra operatio, et a te semper incipiat, et per te coepta finiatur, per.

Qua expleta, ordinator incipiat consecrationem, ordinando prostrato.

CONSECRATIO.

4. Concede, quaesumus, omnipotens Deus: ut famulum tuum N. quem ad regimen animarum eligimus, gratiae tuae dono prosequaris, ut, te largiente, cum ipsa nostra tibi electione placeat, per.

*) Tribus diversis manibus hic *Ordo* est exaratus: prima pars, nempe usque ad consecrationem, recentior censenda est, ut patet, tum ex characterum forma, tum quia in folio adscititio est suppleta; orationes postremae sub n. 6 et seq. videntur suppletae alia manu licet coaeva.

4. Ord. Rom. 156, Men. 168, Mur. 267, 459, Gerb. 104.

5. *Alia:* Cunctorum institutor Deus, qui per Moysen famulum tuum, ad gubernandas ecclesias, praepositos instituisti, tibi supplices fundimus preces, teque devotis mentibus exoramus: ut hunc famulum tuum N. quem conibentia et electio famulorum tuorum abbatem hodie praeelegit, pastorem ovium tuarum esse instituas. Sicque regat subditos commendatos, ut cum illis omnibus regnum caelorum adipisci mereatur. Teque opitulante, Domine, apostolicis iugiter fultus doctrinis, centesimo cum fructu, laetus introeat portas paradisi. Atque te, Domine, conlaudante, audire mereatur: Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium domini tui. Quod ipse praestare digneris, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et gloriaris Deus per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

6. *Alia:* Omnipotens sempiterne Deus, affluentem Spiritum tuae benedictionis super hunc famulum tuum N., nobis orantibus, propitiatus infunde: ut qui per manus nostrae impositionem hodie abbas instituitur, sanctificatione tua digne a te electus permaneat, ut nunquam postmodum a tua gratia separetur indignus. Suscipiat, te largiente, hodie, Domine, in bono opere perseverantiam, in adversis constantiam, in tribulationibus tollerantiam, in ieiuniis desiderium, in pietatibus (*sic*) misericordiam, in humilitatibus principatum, superbiae odium, in fide dilectionem, in doctrina pervigilantiam, in castitate continentiam, a luxuria abstinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam: te munerante, Domine, talis in hoc ministerio perseveret, qualis laevita electus ab apostolis sanctus Stephanus meruit perdurare. Totam ab hoc die diabolicam conversationem despiciat; te, Domine, benedictionem largiente, contempnat praesentia praemia, caelestia desideret ac sempiterna. Sit exemplum et forma iustitiae ad gubernandam regendamque ecclesiam fideliter; ut speculator idoneus inter suos collegas semper efficiatur. Sit magni con-

5. Ord. Rom. 156, Mur. 450, Mart. Ord. I (418).
6. Ord. Rom. 157, Mur. 450, Mart. Ord. I (419).

scilii, industriae, censurae, efficatiae, disciplinae; ita te, Domine, tribuente, ut in omnibus mandatis tuis, sine reprehensione tibi mundo corde deserviens, ad bravium supernae vocationis, multiplicato fenore, cum centesimo fructu coronaque iustitiae ad caelestium thesaurorum donativa perveniat.

Praestante Domino nostro Ihesu Christo Filio tuo, tecum vivente atque regnante Deo in unitate Spiritus sancti per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

7. *Alia:* Deus, cui omnis potestas et dignitas famulatur: da famulo tuo illi prosperum suae dignatis effectum, in qua semper te timeat, tibique iugiter placere contendat, per.

8. *Alia:* Omnium Domine, fons bonorum, iustorumque provectus, tribue quaesumus illi adeptam bene regere dignitatem, et a te sibi praestitam bonis operibus comprobare, per.

Consecratus accipiat baculum de manu episcopi, et dicat ei episcopus haec verba:

9. Accipe baculum pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis saeviens, et cum iratus fueris, misericordiae memor eris.

11. te: *suppl. sup. lin. ma. dubia.*

7. Ord. Rom. 158, Men. 228, Mart. Ord. I (422).
8. Ord. Rom. 158, Men. 228, Mart. Ord. I (422).
9. Mur. 450, Mart. Ord. I (412), (Men. 511, in nota 758).

APPENDIX

AD

PONTIFICALE SAEC. IX

IN USUM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

ORDINES
PRO CONSECRATIONE OLEORUM.

PRAENOTANDUM.

Ordinem Ambrosianum in chrismatis consecratione et sanctorum oleorum benedictione editurus haud diffiteor non levem difficultatem, quae ex discrepantia Ordinis nostri cum antiquis Ordinibus Romanis occurrit; eius rationem reddere primus aggrediar, quamvis doctioribus, ex. gr. *Hittorpio, Ord. Rom.*, pag. 70 et seq., *Gerbert, Monum.*, I, p. 72 et seqq., necnon *Muratorio, Antiq. M. Aevi, t. IV*, col. 892, ritus nostri diversitas innotesceret ex antiquioribus codd., et maxime ex Beroldo nostro. Rem pro modulo meo tentabo, sapientioribus reliquens de mea sententia iudicium: et in primis nonnulla adnotabo ex veteri ecclesiastica disciplina.

Saeculo V saltem incipiente, benedictioni sanctorum oleorum et profecto chrismatis nullam diem statam fixamque fuisse, constat ex *can. XX Concilii Toletani I* (an. 400), ubi inter alia dicitur: « Epi- « scopo sane certum est quod omni tempore licet chrisma conficere. » Porro mos deinde invaluit ut dumtaxat in coena Domini, cum oleis catechumenorum et infirmorum, chrisma conficeretur, non modo apud Graecos sed apud Latinos, uti constat ex Sacramentariis Gelasiano et Gregoriano, et antiquissimis Romanis Ordinibus; sed deinde etiam ex Patribus morem hunc Concilia saec. VIII et IX statuerunt, uti constat ex *Conc. Meldensi an, 845 can. 46:* « Nemo sanctum chrisma, nisi in V « feria majoris septimanae, idest in coena, quae specialiter appellatur

« dominica, conficere praesumat » et ex canone Concil. Aquisgranensi infra citandi. Huic posteriori institutioni ratio tribui debet varietatum liturgiarum Ambrosianae et Romanae; observari enim potest in similibus liturgia nostra a Romana differre tantum in his, quae recentioris, saltem post saec. V, sunt institutionis.

Ex Conciliis adhuc adverte quod, licet interdicatur presbyteris chrismatis benedictio, tamen de validitate anteactae benedictionis nullum movetur dubium (ut notat *Catalanus* in *Pontif. Rom.*, p. III, tit. IV, § III, n. XI), et quamvis aliquando commendetur Episcopis benedictio oleorum cathecumenorum et infirmorum, nulla tamen censura fit presbyteris pro usurpatione hujusmodi benedictionis 1). Haec advertenda curavi, quia codices rituales Ecclesiae nostrae, exhibent formulas in casu necessitatis pro benedictione olei, tum *ad ungendum infirmum*, tum *ad catechumenum faciendum;* et haec postrema legitur in ipso Rituali edito an. 1560, aevo S. Caroli semper adhibito 2). Non ut in praesenti disciplina novam quoad materiam validam sacramentorum proferam sententiam haec notavi, sed ut suppeditarem argumenta ad statuendam concordiam antiquae disciplinae Ecclesiae Mediolanensis cum illa aliarum ecclesiarum. His praenotatis, ipsi Ordines ambrosiani attendi debent.

Benedictio olei infirmorum, quae tamen in I Ordine ex Missali Heriberti deest, in II Ordine Beroldiano, sicuti in Romano, eundem locum obtinet in Canone ante verba: *Per quem haec omnia;* dum e contra, sacri chrismatis et olei catechumenorum benedictiones ante Canonem

1) *Ex Conc. Rom. an. 324*, c. V. Nemo presbyter chrisma conficiat quoniam Christus e chrismate vocatur.

Ex Conc. Carthaginensi II an. 390, can. III. Chrismatis confectio et puellarum consecratio a presbyteris non fiat.

Ex Conc. Carthaginesi III an. 397, can. XXXVI. Presbyter, inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma vero numquam conficiat.

Ex Conc. Toletano I an. 400, can. XX. « Quamvis pene ubique custodiatur, « ut absque episcopo chrisma nemo conficiat, tamen, quia in aliquibus locis vel « provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum « alium, nisi episcopum, chrisma facere, et per dioecesim destinare. »

Ex Conc. Bracharensi II an. 563, c. XIX. « Placuit, si quis presbyter « post hoc interdictum ausus fuerit chrisma benedicere, aut ecclesiam et altarium « consecrare, a suo officio deponatur. » Et novis exurgentibus abusibus:

Ex Conc. Wormatiensi an. 868, c. II. « Chrisma conficere nullus praeter « episcopum praesumat. »

Canones numquam de olei catechumenorum benedictione ab episcopo facienda loquuntur; cur episcopi eandem cum sacro chrismate jam ab initio peragebant?

Si rememorentur ritus solemnes baptismatis ipsorumque catechumenorum scrutinia principaliter ad episcopos semper pertinuisse, nulla erit difficultas; et obvium erit quod utriusque olei benedictio una simul fieret ab episcopo, qui utrumque in eodem sacramento adhibere debebat.

2) Post Ordinem II, ex Ecclesiae Ambrosianae Ritualibus sacramentorum, nonnullas formulas harum benedictionum edere curavi ad complendam huius argumenti notitiam.

ordine diverso perficiuntur. Hujusmodi convenientia ex una parte, et discrepantia ex altera cum Romano, profecto innuunt hos ritus non uno eodemque tempore fuisse ab ipso mutuatos. Et revera, apud auctores nullus invenitur canon, qui ante IX saeculum 3) benedictionem olei infirmorum uti *privativam Episcoporum* declaret, quamvis in sacramentariis Gelasiano et Gregoriano inter ritus Missae Chrismalis iam recensitam reperies: immo libri rituales ambrosiani (iam id notavi) etiam recentiores ut ita dicam, idest saec. XIII et XIV ante ritum pro *Impositione manuum super infirmorum* exibent *Benedictionem olei ad unguendum aegrotum*, secluso etiam casu necessitatis. Inde inferre liceret hunc benedictionis olei infirmorum ritum accessisse Missae feriae V tardius illis pro chrismate et oleo catechumenorum; certe post mortem Heriberti, sed ante aevum Beroldi, quando nempe in universa Ecclesia haec disciplina vulgari coepit; de qua luculentum habemus testimonium circa an. 1089 *Bonizonis Placentini Episc. (Libell. de Sacram.* Migne t. 150, p. 86). « Hoc (oleum infirmorum) omni tem« pore inter Missarum solemnia a presbyteris in eo loco ubi sic legitur: « *Per quem haec omnia bona creas* solebat consecrari. Nunc vero a solis « episcopis in eodem loco Missae in coena Domini consecratur »; proindeque ex ipsis Ordinibus Romanis locum in Canone eundem apud nos accepisse.

Attamen ex cap. XXIX *Conc. Prov. Mediolanen. an. 1287*, Ottone Archiepiscopo celebrati, suspicari potest num benedictio olei infirmorum in provincia nostra saec. XIII privativa episcoporum foret: en ipsius verba: « Item praecipimus in virtute obedientiae et obtestatione « divini judicii universis et singulis Episcopis nostrae Provintiae, ne « alicui religioso clerico vel saeculari dent vel dari faciant chrisma, « oleum sanctum, nec eos recipiant ad ordines, vel publice ad celebran« dum Missam, absque literis commendatitiis dioecesanorum suorum. »

Modo rationem inquirere oportet cur ambrosianae benedictiones chrismatis et olei catechumenorum diverso ordine atque in Romano ritu perficiantur.

Ex allatis ab initio liquet disciplinam benedicendi S. Chrisma feria V in coena Domini ortum habuisse saeculo IV et V: Sed si inspiciamus veteres codd. missales Ecclesiae nostrae, qui antiquissimis cum Leoniano et Gelasiano conveniunt, nullum in hac feria vestigium reperitur Missae Chrismalis; immo, una tantum habetur Missa in Vesperis, quemadmodum in primitiva institutione hujus feriae, ut refert can. I *Conc. Rotomagensis*, an. 1072: « Chrismatis, et olei Baptismatis,

---

3) *Conc. Cabilonensi II an. 813*, c. XLVIII. « Secundum beati Apostoli Ja« cobi documentum, ...infirmi, oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris « ungi debent. »

Conc. Aquisgranensis II an. 836, cap. II, c. VIII. « Ut semel in anno id « est in quinta feria, quae est in Coena Domini, unctio sancti olei, in quo sal« vatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab Episcopo non negligatur... »

« et unctionis consecratio competenti hora, id est post Nonam, se-« cundum statuta Patrum fiat »; profecto ergo benedictio chrismatis et olei catechumenorum in hac Missa ante aevum Gelasii invecta est, statim ac hi ritus ad hanc diem, utpote propriam, assignari coeperunt. Id evincunt ipsae benedictionum preces I Ordinis nostri (alioquin in ipso vulgato Ordine Romano servatae) a Gelasiano diversae, nec ipsum locum sacramentarii Gelasiani tenentes. Et cum minime dici possit quod prioribus Ecclesiae saeculis nullae pro hujusmodi benedictionibus haberentur preces, affirmarem Gelasium ipsum antiquas formulas, vel alias a suis decessoribus reformatas, in novam a se compositam Missam Chrismalem una cum benedictione olii infirmorum induxisse.

Nemo mirabitur hanc nostram opinionem, si advertat quantum ipsa Ecclesia nostra antiquitatum tenax fuerit; ut scite quoad Missae Canonem demonstravit eruditissimus *Doct. A. Ceriani: Notitia Liturgiae Ambrosianae ante saec. XI medium.* Mediolani, 1895.

Sed adhuc restat investigare cur ad oblationem et non potius alio loco Missae, benedictiones chrismatis et olei perficiantur. Facile me expedirem Justiniani sententia: « Non omnium, quae a majoribus « nostris tradita sunt, ratio inquiri oportet »; sed rationem aliquam proferam desumptam ab ipso ritu quo sacri olei offeruntur ad altare: cum enim solemniter olea proferrentur cum pane et vino (quemadmodum et nunc servatur) non est improbabile, quod episcopus, ne Canonem, qui semper ut praecipua pars Missae habitus est, deinde intermitteret, ea benediceret ante praefationem, id est oblatis pane et vino ad sacrificium, quod tunc temporis breviter fiebat, scilicet ad canticum *offertorium* cum thurificatione et *oratione super oblata*, quemadmodum in Beroldo legitur: insuper ipsa benedictio, quae oratione et praefatione constat, suadere potuit ut hoc in loco poneretur, ubi pro consecratione panis et vini legitur similis praefatio, quae apud *Gerbert* p. 73, inscribitur: *secunda contestatio.*

De ceteris vero solemnitatibus, quae, salvo hoc ordine primitivo, accesserunt mutuatae a Romanis Ordinibus, modo nobis non est pertractandum. Sed ne taceam quidquam ad veterem nostram disciplinam attinet, ex Arnulpho (*Gesta Archiepp. Mediol.*, l. IV, n. 6) adnotabo an. 1074, *chrisma sacrum ab episcopo ambrosianae consecrationis, sive suffraganeo, deficiente Pontefice Mediolanensi, dominicae coenae mysterio Metropolitanae ecclesiae, sicut mos est, fuisse directum.* 4)

4) Haec iam scripseram, cum prae manibus obvenerunt Notae *I. A. Irici* Doctoris Collegii Ambrosiani, pluribus voluminibus contentae in Bibl. Ambros. (*sign.* AS. IV, 2 et seqq.): ille multa ex auctoribus passim congessit, quae meis favent sententiis, praesertim in notis ad formulas consecrationis oleorum, extantes in Missali ambrosiano-monastico in Biblioth. Cleri ad S. Alexandrum in Columna Bergomi asservato. Hoc Missale ad saec. IX, peritorum sententia, pertinere est censendum: si quae in eodem extant diversae lectiones suis locis notantur.

I ORDO

EX CODICE HERIBERTI ARCHIEPISCOPI *)

FERIA V IN COENA DOMINI

AD MISSAM.

Oratio super populum.

1. Concede nobis, omnipotens Deus: ut, sicut in passione sua Dominus noster Ihesus Christus diversa utrisque intulit stipendia meritorum; ita, ablato a nobis vetustatis errore, resurrectionis eius gratiam consequamur: per eundem.

Super sindonem.

2. Deus, a quo et Iudas reatus sui poenam, et confessionis suae latro praemium sumpsit, concede nobis tuae pro-

6. Concede etc.: *omitt. cod. Berg.*

*) Codex iste est iuris Capituli Metropolitani Mediolanen., signatus, olim 2102, nunc: *Missale Ambros. saec. X*, quamvis ad saec. XI pertinere pateat ex forma characterum, iudicio peritorum, et ex perpetua ejusdem Capituli traditione, quae codicem veluti Missale Archiepiscopi Heriberti semper habuit. Eundem Ordinem in Missa fer. V in coena Domini exhibet *Missale saec. IX, Bergomen. eccl. S. Alexandri in Columna*, cuius apographus saec. XVIII inter mss. Bibl. Ambros., *sign.* FS. IV, 15 extat. *Hittorpius, Ordo Rom.*, p. 70 et seq., et *Gerbert, Monum. Lit. Alem.*, t. I, p. 72 et seqq., exhibent et ipsi orationes *ambrosianas* in chrismatis et oleorum consecratione; sed Ordinem nostrum cum Gelasiano et Gregoriano confundunt, quin possibile evadat ad fidem codicum ab ipsis inspectorum genuinum ambrosianum Ordinem restituere: hinc mihi sufficit lectorem ad eosdem remittere opportunis, ut hucusque consuevi, indicationibus adiectis.

2. Gel. 559 (75), Pam. 253, Men. 65, Gerb. 78.

pitiationis effectum: ut, sicut in passione sua Ihesus Christus Dominus noster diversa utrisque intulit stipendia meritorum; ita nobis, ablato vetustatis errore, resurrectionis suae gratiam largiatur, qui tecum.

[*Super oblata*].

3. Ipse tibi, quaesumus, Domine sancte, Pater omnipotens Deus, sacrificium nostrum reddat acceptum, qui discipulis suis in sui commemoratione hoc fieri, hodierna traditione, monstravit: qui tecum vivit.

BENEDICTIO CHRISMAE.

4. Unanimes atque concordes, fratres karissimi, Dei Patris omnipotentis auxilium misericordiae deprecemur: ut hoc unguentum, quo in regali gloria populus eius vestiendus est, caelesti benedictione, et virtutis suae vigore corroboret; et tegmine eius plebs in aeternum benedicta tueatur: praestante Domino nostro Ihesu Christo, qui cum ipso et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Dominus vobiscum.

Praefatio chrismae.

5. Vere quia dignum et iustum est, aequum et salutare; Nos tibi semper hic et ubique gratias agere, dominator Domine Deus, Rex unctus, auctor unguenti; speciosus forma, speciosior unctione; sacrator ipse tuus, ipse omnium consecrator: Qui unguentum de potestate sanctificas, potestatem consecras de unguento; de unguento fecisti chrisma, de chrismate nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine isto sit regalis unctio christianis. In tuo ergo no-

5. [*Super oblata*] suppl. *in hac ed. ex cod. Berg.* — 13. quo: quod, *cod. Berg.* — 14. vigore: rigore, *cod. Berg.*

3. Men. 66, Gerb. 72.
4. Gerb. 75.
5. Gerb. 72.

mine fiat haec creatura iam chrisma, ut habeatur ut chrisma, † Forma crucis, † Signum frontis, † Sacri titulus bellatoris. In hoc chrismate mulceatur auditus, purificetur visus, odoratus suavescat, saporetur gustus, tactus in Trinitate sit solidus: ut talibus stipendiis Domini milites decorati, atque ambroseo rore madidi, imperanti serviant, non suadenti: et signati hoc chrismate sancto, signiferi esse mereantur caelestes, per Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli, venerantur Archangeli; Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, et Potestates adorant; quem Cherubim et Seraphim socia exultatione concelebrant: cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus (*sic*).

BENEDICTIO OLEI.

6. Deus, sacramenti huius inventor atque dispositor, qui praesentis liquoris pinguedine beatorum confirmasti corpora cordaque pontificum: qui in hac creatura excellentis nobilitatem nominis, ut per eos Christos faceres, indidisti; qua nitentes ac delibutos antistites iussisti participibus anteferri: dignum aestimans elementum, quo innocentiae et variarum tribueretur forma virtutum: concede, ut infusione sancti Spiritus olim tibi placitam praesentis olei † confirmes nobilitesque substantiam: ut quicquid ex eo in humano genere tactum fuerit, ad naturam transeat mox supernam; nec aliquid sibi post unctionem eius vindicet hostis antiquus, sed doleat se telis beatae huius propugnationis addictum; et pacis oleo vetusti furoris comprimi superbias ingemiscat: per Dominum nostrum Ihesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in uni-

6. ambroseo: ambrosio, *cod. Berg.*

6. Gerb. 75.

tate eiusdem Spiritus sancti per omnia saecula saeculorum. Amen.

7. Dominus vobiscum, Et cum spiritu tuo.

Sursum corda. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et iustum est.

Vere quia dignum et iustum est, aequum et salutare, Nos tibi semper hic et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum: qui cum Deus esset in caelis, ad delenda hominum peccata descendit in terras; et qui humanum genus venerat liberare, tamquam obnoxius debitor, inlicito pretio dominus a servo distrahitur; et qui Angelos iudicat, in hominis est iudicio constitutus, ut hominem, quem ipse fecerat, de morte liberaret. Et ideo cum Angelis. *)

Infra canonem.

8. Communicantes et diem sacratissimum celebrantes, quo traditus est Dominus noster Iesus Christus. Tu nos, Domine, participes Filii tui, tu consortes regni tui, tu incolas paradisi, tu Angelorum comites esse iussisti, si tamen inlaesa et intemerata fide caelestis militiae sacramenta servamus. Haud quid desperare de tua misericordia possumus, qui tantum munus accepimus, ut talem tibi hostiam offerre mereremur, corpus scilicet et sanguinem Domini nostri Ihesu Christi, Qui se pro mundi redemptione piae illi ac venerandae tradidit passioni; Qui formam sacrificii salutis perennis instituens, hostiam se primus optulit, et primus docuit offerri. Sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper

15. Angelis: Angelis et Archangelis, *cod. Berg.* — 18. noster: *om. cod. Berg.* — 21. servamus: servemus, *cod. Berg.*

7. Gerb. 73. *) De partibus communibus et propriis canonis huius Missae feriae V in Coena Domini, erudite disseruit *Doct. A. Ceriani, Notitia Liturg. Ambros.*, p. 18 et seq., quem oportet adire, ne lector decipiatur argumentis a Muratorio, Liturg. Rom. 130 et seqq., allatis.

8. Gel. 553 (67), Gerb. 73.

Virginis Mariae genitricis Dei ac Domini nostri Ihesu Christi, sed et beatissimorum apostolorum et martyrum tuorum

Petri	Vincentii	Victoris
Et Pauli	Cornelii	Naboris
Andreae	Cypriani	Felicis
Jacobi	Clementis	Kalymerii
Johannis	Grisogoni	Materni
Thomae	Johannis	Eustorgii
Jacobi	Et Pauli	Dionisii
Phylippi	Cosmae	Ambrosii
Bartholomei	Et Damiani	Simpliciani
Mathei	Apollinaris	Martini
Symonis	Vitalis	Eusebii
Et Thaddei	Nazarii	Hylarii
Syxti	Et Celsi	Et Iulii
Laurentii	Protasii	Silvestri
Ypoliti	Et Gervasii	Et Satyri,

Et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio, per Christum Dominum nostrum.

9. Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus ob diem ieiunii coenae dominicae, in qua Dominus noster Ihesus Christus Filius tuus in novo testamento sacrificandi ritum instituit, dum panem ac vinum, quod Melchisedech in praefiguratione futuri mysterii sacerdos optulerat, in sacramentum sui corporis et sanguinis transformavit celebranda, quaesumus, Domine, placatus intende: ut per multa curricula annorum salvi et incolumes munera nostra tibi Domino mereamur offerre; diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna nos damnatione eripi, et in electorum tuorum

16-17. Silvestri et Satyri *om. cod. Berg.* — 25. futuri mysterii: mysterii futuri *cod. Berg.* — 26. transformavit celebranda: transformavit. Celebranda. etc. *cod. Berg.*

9. Gel. 553 (67) Gerb. 73 et 75.

iubeas grege numerari, per Christum Dominum nostrum. Quam oblationem, quam pietati tuae offerimus, tu, Deus, in omnibus, quaesumus, † Benedictam † ascriptam ratam rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui, Domini autem Dei nostri Ihesu Christi. Qui pridie quam pro nostra et omnium salute pateretur, hoc est hodierna die, discumbens in medio discipulorum suorum, et accipiens panem elevavit oculos ad caelos, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, † Benedixit, fregit deditque discipulis suis dicens ad eos: Accipite et manducate ex hoc omnes, Hoc est enim corpus meum. Simili modo postquam coenatum est, accipiens calicem elevavit oculos ad caelos ad te Deum Patrem suum omnipotentem, item tibi gratias agens, † Benedixit, tradidit discipulis suis dicens ad eos: Accipite et bibite ex eo omnes, Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Mandans quoque et dicens ad eos: Haec quotienscumque feceritis in meam commemorationem facietis, mortem meam praedicabitis, resurrectionem meam annuntiabitis, adventum meum sperabitis, donec iterum de caelis veniam ad vos. Haec facimus, haec celebramus, tua, Domine, praecepta servantes; et ad communionem inviolabilem, hoc ipsum quod corpus Domini sumimus, mortem dominicam nuntiamus. Tuum vero est, omnipotens Pater, mittere nunc nobis Unigenitum Filium tuum, quem non quaerentibus sponte misisti; qui, cum sis ipse immensus et inaestimabilis, Deum quoque ex te immensum et inaestimabilem genuisti; ut cuius passione redemptionem humani generis tribuisti, ejus nunc corpus tribuas ad salutem, per eundem Christum Dominum nostrum.

10. *) Per quem haec omnia, Domine, semper bona

7. hoc est: *om. cod. Berg.*

10. Gerb. 75. *) Nullam Codex habet hoc in loco orationem pro

creas, † Sanctificas † Vivificas, † Benedicis; et nobis famulis tuis largiter praestas ad augmentum fidei et remissionem omnium peccatorum nostrorum. Et est tibi Deo Patri omnipotenti, ex ipso et per ipsum et in ipso, omnis honor, virtus, laus et gloria, imperium, perpetuitas et potestas.

Per infinita saecula saeculorum. Amen.

Post confractorium.

11. Ipsius praeceptum est, Domine, quod agimus, cuius nunc te praesentia postulamus: Da sacrificio auctorem suum; impleatur fides rei in sublimitate mysterii, ut sicut veritatem caelestis sacrificii exequimur, sic veritatem dominici corporis et sanguinis hauriamus, per eundem Christum Dominum nostrum dicentes:

Pater noster, qui es in caelis.

Post communionem.

12. Domine Deus noster, concede propitius: ut qui Unigeniti tui sumpsimus corpus et sanguinem, ab infidelis discipuli reddamur caecitate divisi; qui Christum Dominum nostrum verum Deum hominemque fatemur et colimus: qui tecum.

5. et gloria: et, *om. cod. Berg.* — 10. impleatur: ut impleatur; *cod. Berg.*

olei infirmorum benedictione: tamen in seq. Ordine ex Beroldo, servatis omnibus huius I Ordinis, insuper occurrunt duo exorcismi chrismatis et olei catechumenorum, necnon ipsa benedictio olei infirmorum mutuati ab Ord. Rom. (63, 65, 66); haec omnia, seorsim a praefatione chrismatis et benedictione olei catechumenorum, repperi in calce cod. ecclesiae Metropolitanae (ms. saec. XIV olim, *sign.* F. 50) in quo leguntur preces archiepiscopales ad scrutinia, ad bened. fontium, et ad baptismum.

11. Gerb. 77.

12. Gerb. 77.

II ORDO

EX BEROLDO NOVO *)

IN COENA DOMINI.

1... *Completo autem officio* *) *secundum morem, tunc praeparentur a ministris tres ampullae cum oleo: una ad oleum crismale, altera ad oleum cathecumenorum, tertia ad oleum infirmorum, et deferantur in capellam. Et dominus archiepiscopus provideat de balsamo.* **)

*) Non novum Ordinem exhibeo (eundem legere quisque potest tum apud *Muratori, Antiq. Med. Aevi* t. IV, col. 891 et seq., tum in *Beroldo* ex codice ambrosiano, *I, 152 inf.*, a me edito, foll. 102 et seq.) sed hoc in loco ex codice Metropolitano saec. XIII, nuncupato *Beroldo novo*, recudere duxi, ne desiderentur quae ad notitiam liturgiae pontificalis Ambrosianae spectant. In calce, sub signo I, adnotabo quae variant in cod. ambros. saec. XII a me iam edito et notis illustrato. Metropolitanum codicem, licet recentiorem, in hoc casu praeferre duxi, quia ipse mihi est visus exhibere antiquiorem lectionem; ex gr. in confectione chrismatis ante praefationem, cum alio codice ambros. *C. 23 inf.* adhuc servat formulam *Unanimes atque concordes* codicis Heriberti, quae deinde obsolevit; ita ut, post saec. XIV, servato ceteroquin Ordine Beroldiano, formulae exorcismorum, benedictionum et praefationum cum Pontificali Romano omnimo convenirent.

1. *) Intellige, absolutis officiis propriis huius diei usque ad horam Nonam inclusive. **) Haec sapiunt antiquam disciplinam, qua presbyteri singularum paroeciarum ipsi offerebant olea; uti patet ex canonibus in *Lib. de eccl. discipl.* Reginonis (Migne, P. L. t. 132, col. 206) « ut presbyter in coena Domini ampullas duas secum deferat, unam « ad chrisma, altera ad oleum ad cathecumenos inungendum vel in« firmos »; et ex *Conc. Cabilonen. II, an. 813, can. XVI:* « pro balsamo « sive luminaribus emendis nihil presbyteri chrisma accepturi dent « episcopi itaque facultatibus ecclesiae balsamum emant... »

2. *Tunc archiepiscopus procedat cum cardinalibus et primicerio presbyterorum et ceteris ordinibus ad regias ecclesiae, et faciat sermonem poenitentibus de poenitentia et conversione illorum. Hisque omnibus expletis, archiepiscopus cum primicerio presbyterorum, canendo ant.* Cor mundum crea in me, Deus; *alternando cum versibus:* Miserere mei, Deus, *ducant* (sic) *poenitentes in ecclesiam cum virga pastorali, et prosternant se omnes in pavimento. Deinde archiepiscopus dicat super eos hanc orationem:*

Deus, humani generis benignissime conditor, et misericordissime reformator, qui in reconciliatione lapsorum etiam me, qui misericordia tua primus indigeo, servire effectibus gratiae tuae per ministerium sacerdotale voluisti: ut, cessante merito supplicis, mirabilior fieret clementia redemptoris. qui tecum. *)

Tunc archiepiscopus levet eos cum ceteris sacerdotibus, dando eis osculum reconciliationis; et sic commendet eos primicerio presbyterorum.

3. *Tunc pontifex procedat cum subdiaconibus et notariis et duodecim capellanis ad praedictam capellam; et, posita tabula et manutergio ac argenteo vase, sedeat et conficiat cum pollice balsamum, miscendo cum oleo. Interim capellani canant psalmos:* Beati immaculati, *usque ad:* omnis spiritus laudet Dominum. *Postea refundat balsamum confectum in ampullam crismalem. Deinde commendet eam et alias subdiaconibus.*

4. *Tunc archiepiscopus indutus casula descendat et incipiat Vesperum secundum morem. Sequitur lucernarium, quod cantat clavicularius ebdomadarius:* Quoniam tu illuminas.

℣ Quoniam in te eripiar; *hymnus:* Hymnum dicamus

4. *illorum: eorum.* I. — 26. *descendat...* Quoniam: I legit: *et subdiaconus ebdomadarius exit de secretario revestitus cum candelabris accensis. Tunc Archiepiscopus incipit Vesperum; clavicularius ebdomadarius canit lucernarium:* Quoniam.

2. *) Haec oratio est, ut patet, mutila: integram habet Ord. Rom. 59, (cfr. Men. 214).

Domino...: *postea cantat archidiaconus indutus pluviali* ℟. Omnes vos... ℣. Sic una hora... *Et ebdomadarius lector ascendat et legat: Lectio Ionae prophetae.* Factum est verbum Domini super Ionam: *pueri psalmellum:* Vigilate... ℣. Surgite....

5. *Interim pontifex in secretarium ingrediatur cum omnibus sacerdotibus et diaconibus et subdiaconibus, et induunt* (sic) *se sacris vestibus sollemni more. Finita praedicta lectione exeant, praecedente subdiacono qui lecturus est epistolam: et eo ascendente, accedat pontifex ad altare; sed antequam incipiat, vadat post altare, et dicat hanc orationem plane, ut a circumstantibus possit audiri:* Concede nobis, omnipotens Deus, ut sicut in passione sua. *Tunc dicat:* Dominus vobiscum *excelsa voce. Et subdiaconus legat epistolam ad Corinthios I:* Convenientibus vobis in unum, iam non est dominicam coenam manducare. *Cantus lectoris:* Tamquam ad latronem.... ℣. Adhuc eo loquente.... *Sequitur evangelium secundum Matheum:* Prima die azimorum. *Finito evangelio, statim incipiat magister scolarum intrando chorum, in gyro:* Coenae tuae.... *Et non dicatur:* Pacem habete, *aut* Kyrie. *Sequitur oratio super syndonem. Tunc subdiaconi offerunt panem azimum et fermentatum cum omnibus calicibus et patenis. Postea archiepiscopus incipiat orationem ad munus offerendum. Sequitur offertorium:* Contumelias.... *Sequitur oratio super oblatam.*

6. *Finita oratione, non dicat:* Dominus vobiscum. *Tunc subdiaconi ascendant ad praedictam capellam, et cum magna reverentia deferant supradictas ampullas; et maior offerat diacono ampullam crismalem, et diaconus ponat eam super altare.*

7. *Tunc pontifex incipiat consecrationem principalis crismatis, et dicat lenta voce exorcismum:* Exorcizo te, creatura

1. Domino....: *in cod. per extensum: si om. hic et infra brevitatis gratia, indicatur simili modo.* — 11. Concede nobis, etc. *in marg. ma. saec. XVI, cum Greg. indicatur orat.:* « Deus a quo et Judas, *ut in Matut.* « *Fer. V,* » *sed lectio codd. convenit codd. antiquissimis.* — 28. *consecrationem; confessionem,* I; sed lege *confectionem* cum alio cod. ambr., sign. *C. 23 inf.*

7. Codex Metrop. tantum ponit initia orationum: sed sufficit ut con-

olei, per Deum Patrem omnipotentem. *) *Hoc finito, dicat excelsa voce:* Dominus vobiscum.

Sequitur benedictio crismae: Unanimes atque cordes. **)

Praefatio crismae.

Dominus vobiscum, ℟ Et cum spiritu tuo.

Item: Sursum corda, ℟ Habemus ad Dominum.

Item: Gratias agamus Domino Deo nostro, ℟ Dignum et iustum est.

Sequitur: Vere quia dignum et iustum est, aequum et salutare, Nos tibi semper hic et ubique gratias agere, Dominator Domine Deus, Rex unctus, auctor unguenti. ***)

Finita benedictione, summo honore procuretur, usque dum altera offeratur ut prior.

8. *Et primo fatiat exorcismum benedicatque eam quasi lectionem legens.*

Exorcismus olei catechumenorum: Exorcizo te, creatura olei, in nomine Dei Patris. *) *Sequitur:* Dominus vobiscum.

Benedictio olei: Deus sacramenti huius inventor atque dispositor. **) *His itaque peractis, eodem ordine et decore, quo sunt oblatae in ecclesiam, redeant ambae simul in sacrarium, et tota Missa peragatur ordine suo.*

4. Unanimes atque concordes. *Praefatio chrismae: om.* I. — 12. unguenti: *corr. ex* unigeniti.

stet easdem convenire vel cum praeced. Ordine, vel cum Ord. Rom. *) Ord. Rom. 65, Gel. 597 (118), Leofr. Miss. 259, Mabill. Ord. X. **) ut in Ord. praeced. ***) ut in Ord. praeced.

8. *) Ord. Rom. 66, Gel. 557 (72), Leofr. Miss. 260, Mabill. Ord. X. **) ut in Ord. praeced. — In *Ord. Rom.* apud *Hittorpium* p. 70, (qui formulas *ambrosianas* pro chrismatis et olei catechumenorum benedictionibus, quae eaedem, ut vidimus, extant in praecedenti Ordine) alia formula pro olei infirmorum benedictione legitur, quam ex eodem Hittorpio hoc in loco exhibere puto, cum ipsam in aliis codicibus non invenerim:

« *Benedictio olei ambrosiana ad ungendum tam infirmos quam energumenos:* Domine, qui studio salutis humanae creaturis tuis vim benedictionis indidisti, ut ad animarum nostrarum sanctificationis utilitatem creaturarum etiam corporalium ministerio nostris salus temporibus tribueretur, infunde sanctificationem tuam huic oleo: ut ab his quae unxerit membra, fugatis insidiis adversariae potestatis, susceptione praesentis

9. *Et antequam dicatur in secreta:* Per quem haec, Domine, semper omnia bona creas, *benedicat oleum pro infirmis, diacono tenente, his verbis, ut tantum a circumstantibus possit audiri. Exorcismus olei:* Exorcizo te, inmundissime spiritus:*) *et non peragatur conclusio, sed statim sequatur eadem voce benedictio:* Emitte, Domine, Spiritum paraclitum de caelis. **) *Hac finita, et oleum reportetur, et in loco suo conservetur.*

10. Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas etc. Per infinita saecula saeculorum. ℟ Amen. *Confractorium:* Hoc corpus quod... *Missa vero ordine suo agatur, usque dum diaconus dicit:* Offerte vobis pacem, *et tamen non dicat: et archiepiscopus non det pacem ministris. Transitorium:* Tristis est... *Tunc archiepiscopus communicet cum clero et populo. Sic Missa compleatur secundum morem.*

11. *Postea vadat post altare et dicat:* Dominus vobiscum: *sequit. ant.:* Illi patrifamilias... ℣ Deus in adiutorium meum.*)

Oratio. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, sic nos...

Alia or. Parce nobis, omnipotens Deus...

Alia or. Disrumpe, quaesumus, Domine...

Alia or.. Exaudi, Domine... *Et sic Vesperum compleatur.*

12. *Et pontifex vadat in sacrarium: ibi praecipiat subdiaconibus ut diligenter custodiant Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini; similiter autem praecipiat duobus notariis ut crisma et oleum cum magna cautela distribuant.* *)

His rite peractis, presbyteri omnes et diaconi et subdiaconi et magister scollarumet primicerius lectorum cum duobus lectoribus ebdomadariis, et cum illo qui cantavit: Tamquam da latronem, *vadunt in domum archiepiscopi...*

1. haec.... creas: haec omnia bona creas, Domine: I. — 21. *ibi: ubi.* I.

olei, sancti Spiritus gratia salutaris debilitatem expellat, et plenam conferat sospitatem, in nomine Domini nostri Jesu Christi. »

9. *) Ord. Rom. 63, Gerb. 75, Leofr. Miss. 257, Mabill. Ord. X. **) Ord. Rom. 63, Gel. 555 (70), Pam. 251, Men. 66, Mur. 55, Gerb. 74, Leofr. Miss 257, Mabill. Ord. X.

11. Seq. Vesp., ut in hodiernis Brev. Ambr. *) Psalm. 69.

12. *) Ex *Reginone, De eccl. disc.* l. I, c. 76 (Migne, P. L., t. 132

ALIAE BENEDICTIONES OLEORUM PRO CATECHUMENIS SEU INFIRMIS.

(Ex Rituali Ambros., cod. saec. XIV, Bibl. Capit. Metrop. sign. H. 62.)

1. « (fol. 1.) *Incipit ordo ad cathecuminum faciendum: benedic oleum dicendo sic:* Deus, in adiutorium meum intende etc. Gloria Patri... Sicut erat... Alleluia. *Oratio vel benedictio olei.* Exorcizo te creatura olei per Deum, etc., *ut in Gel.* *)

« (fol. 12.) *Incipit benedictio olei* (id est *Extrema unctio*) *Benedictio olei:* Deus in adiutorium. Domine etc. Gloria. »

2. Aeterne omnipotens Deus, precamur supplices sublimem clementiam, ut hanc creaturam olei † benedicere † sanctificare digneris; ut mittere iubeas Spiritum tuum paraclitum, qui replevit orbem terrarum, super hanc pinguedinem quam de viridi ligno fluere praecepisti: ut si quis ex eo unctus fuerit vel gustaverit, sit ei animae atque corporis firmamentum. Depellat valitudines malas, diaboli temptamenta

10. etc. Gloria: *corr. ex:* oe gloriose.

col. 207) constat communis Ecclesiae disciplina distribuendi olea, non singulis presbyteris regimini paroeciarum ruralium praepositis, sed aliquibus tantum, qui aliis sua vice distribuerent: in Dioecesi nostra jam saec. XII hoc mandatum erat praepositis plebium, ut constat ex charta an. 1183, apud *Giulini, Mem. di Milano.* tom. VI, p. 446, ubi inter alia haec leguntur: « Capitanei de Castillione libere quem velint eligant « sacerdotem... qui, accepto crismate a plebe, baptizet. » In nostra Ecclesia custodia et distributio sacrorum oleorum adhuc ad notarios ecclesiae Metropolitanae spectat, uti videre est in *Caeremoniali Ambros. Card. F. Borromaei*, edit. an. 1619, p. 148 et seqq., cap. *De notariis acolythis.*

1. Gel. 597 (118), Leofr. Miss. 259, Gerb. 74. *) Eadem recurrit in Ritualibus Ambros. editis, nempe edit. II, saec. XV labente, fol. *a 2*, sub rubr.: « *Si non habes oleum ab episcopo consecratum, causa necessitatis, prius benedic oleum per hoc exorcismum, sic dicendo: Deus in adiutorium*, etc. » et in ed. a. 1560 fol. 8′, sub simili rubrica. Heic notare occurrit, eundem exorcismum adhiberi in Gelas. ad oleum catechumenorum, in Ord. Rom. vero ad chrisma.

discutiat, invalescentes estus febrium et causam universi doloris avertat: ut fide sanctitatis, vigore concepto, referat Deo Patri omnipotenti gratias sempiternas per Dominum.

3. *Alia oratio:* Deus humani generis creator, qui, depulsis cunctis doloribus nostris, salutis medicus extitisti, qui per apostolos tuos vexatorum languoribus gratiam sanitatum praestitisti, te supplices deprecamur: ut super hanc creaturam olei inviolabilis virtutis tuae munus infundas. † Et sanctifica benedictionis tuae munere, et sancti Spiritus inumbrata virtute. Et quotienscumque fidelium tuorum membris infusa fuerit, confracta solidet, et languentia foveat, ad tactumque hominibus inferat mentis et corporis sanitatem. Per Dominum. *Hic incipit manus impositio....* »

2. fide: *corr. ex* fidem. — 4. Deus: Deus, qui es. T. — 7. te: te nunc. T. — 8. Et sanctifica: et sanctificata T. — 10. Et: *om.* T. — 11. foveat, ad tactumque: vegetet, quae recta foveat, calefacta restinguat, adtactisque T.

3. Ipsa, et unica, occurrit in cod. Ambr. saec XI, sign. *T. 96, sup.* fol. 244, ubi officium Extremae unctionis, sub tit. « Incipit *benedictio* « *olei super aegrotum.* Deus, qui es humani generis. » — In calce signo T notabo diversas lectiones huius antiquissimi codicis.

ORDINES
PRO
BENEDICTIONE ET CORONATIONE
REGIS ET REGINAE ITALIAE.

PRAENOTANDUM.

Iam unum, eundemque vetustissimum, Ordinem ex Pontificali saec. IX Ecclesiae nostrae superius (p. 62 et seqq.) edidi; modo, quos promiseram, subiicio alios Ordines, qui, eo ipso quod ad regum Italiae coronationem pertineant, censendi sunt ut proprii Ecclesiae Ambrosianae. Plane nemo ignorat Imperatorem consuevisse triplicem coronam solemni pompa sumere, nempe primam Aquisgrani ab Archiepiscopo coloniensi, secundam Mediolani vel Modoetiae ab Archiepiscopo nostro, tandem auream Romae a Summo ipso Pontefice, uti refert *Glossa* in *Clem. unica* l. I, t. IX; hancque Mediolanensis Antistitis praerogativam ipsi Romani Pontifices non semel memorarunt, uti Innocentius VI apostolicis literis Avinione an. 1354 datis favore Caroli Regis Romanorum, et Nicolaus V, in Brevi XVII kal. aprilis an. 1452 pro coronatione Imperatoris Fredrici: Haec documenta legi possunt in notis *R. Bombelli, Storia della corona ferrea dei Re d'Italia*, Firenze, 1870; cuius opus, licet non omnia et singula placita amplecti possim, tamen prae ceteris hucusque ad rem editis commemorare volui, utpote sententias colligens praeteritorum scriptorum, quorum nomina huc referre non iuvat: et quamvis taceam de reliquis auctoribus, tamen silentio premi non debet noster *Muratorius, De Corona Ferrea, Anecdot.* t. II, p. 328 et seqq., qui alium Ordinem Mediolanensem pro coronatione edidit, recusum a *Martene, De Antiq. Eccl. Rit.* t. II, col. 584 et seq., ac novissime a *Pertz*, in *Monum. Germ., Legg.* tom. II, pag. 503 et seq. e codice regio Parisiensi num. 977. saec. XIV, apud quos facile reperiri poterit: quare novam eiusdem Ordinis editionem inutilem puto, quae molem huius voluminis in vanum augeret: nec eadem ratione alii Ordines, tum ex fabulosa *Chronica Comitum Angleriae*, cum ex *Landulfi sen Historia* l. II, c. XVI, quos alias ediderunt *Puricellius, Monum. Basil Ambros.*, n. 102, et *Muratorius*, o. c. cap. XVI, referre, utpote minoris momenti, putavi. In collationibus Ordines coaevos compulsavi, ut clarius ostenderem quos ritus Ecclesia nostra communes haberet cum aliis Ecclesiis, praesertim cum Romana.

I ORDO

EX CODICE METROPOLITANO SAEC. XI

INCIPIT ORDO

QUALITER REX ORDINARI DEBET.

1. Omnipotens aeterne Deus, creator omnium, imperator Angelorum, rex regnantium, Dominusque dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi et Josue populo praelatis multiplicem victoriam tribuisti, humilemque David puerum tuum regni fastigio sublimasti, et Salomonem sapientiae pacisque ineffabili munere ditasti, respice, quaesumus, ad preces humilitatis nostrae; et super hunc famulum tuum ill., quem supplici devotione in regem eligimus, benedictionum tuarum dona in eo multiplica; eumque dextera tuae potentiae semper et ubique circumda: quatenus praedicti Abrahae fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Josue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus placeat, et per tramitem iustitiae inoffenso gradu semper incedat, ecclesiamque tuam deinceps cum plebibus sibi annexis, ita enutriat ac doceat, muniat et instruat, contraque omnes visibiles et invisibiles hostes eidem potenter regaliterque tuae virtutis regimen administret, et ad verae fidei pacisque concordiam eorum animos, te opitulante, reformet: ut

5. Omnipotens: *lit. O initialis nonnihil decorata variisque coloribus depicta.*

1. Ord. Rom. 148, Men. 258.

horum populorum debita subiectione fultus condigno amore glorificetur; ad paternum decenter solium tua miseratione conscendere mereatur; tuae quoque protectionis galea munitus, et scuto insuperabili iugiter protectus, armisque caelestibus circumdatus, optabilis victoriae triumphum feliciter capiat; terroremque suae potentiae infidelibus inferat, et pacem tibi militantibus laetanter reportet; per Dominum nostrum qui virtute crucis tartara destruxit, regnoque diaboli superato, ad caelos victor ascendit; in quo potestas omnis, regumque consistit victoria, qui est gloria humilium, et vita salusque populorum. Qui tecum vivit et regnat.

ITEM CONSECRATIO SIVE BENEDICTIO REGIS.

2. Te invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: ut hunc famulum tuum ill., quem tuae divinae dispensationis providentia in primordio plasmatum, usque ad hunc praesentem diem iuvenili flore laetantem crescere concessisti, eum dono tuae pietatis ditatum plenumque veritatis gratia de die in diem coram Deo et hominibus ad meliora semper proficere facias: ut summi regiminis solium, gratia superna largiente, gaudens suscipiat, et misericordiae suae muro ab hostium adversitate undique munitus plebem sibi commissam cum pace propitiationis et virtute victoriae feliciter regere mereatur. In diebus eius oriatur omnibus aequitas et iustitia; amicis adiutorium, inimicis obstaculum; humilibus solacium, elatis correptio; divitibus doctrina, pauperibus pietas; peregrinis pacificus (*sic*), propriis in patria pax et securitas, unumquemque secundum mensuram suam moderate gubernans, seipsum sedulus discat, ut tua irrigatus compunctione toti populo tibi placita praebere vitae possit exempla: et per viam veritatis cum grege gradiens, sibi sub-

1. condigno amore glorificetur: cum digno amore glorificatus, etc. *C.* — 13. Te: *lit.* T *coloribus et ornatibus depicta.* — invocamus: mus *suppl. ma. poster.* — 29. toti: *corr. ex* toto. — 28. irrigatus: *corr. ex* irrogatus.

2. Men. 257, 258, Mart. Ord. I, V, Leofr. Miss. 230.

dito populo, opes frugiles abundanter adquirat; simul ad salutem non solum corporum, sed etiam cordium, a te concessam cunctis a cunctis accipiat. Sicque in te cogitatum animi consiliumque omne componens gubernacula cum pace simul et sapientia simul semper invenire videatur. Teque auxiliante, praesentis vitae prolixitatem percipiat et tempora bona; usque ad summam senectutem perveniat: huiusque fragilitatis finem perfectam ab omnibus viciorum vinculis tuae pietatis largitate liberatus, et infinitae prosperitatis praemia perpetua Angelorumque aeterna commercia consequatur. Per Dominum.

Sacri benedictio olei.

3. Deus Dei Filius Jhesus Christus Dominus noster, qui a Patre oleo exultationis unctus est prae participibus suis, ipse per praesentem sacri unguinis infusionem Spiritus Paracliti super caput tuum infundat benedictionem; eandemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat; quatenus hoc visibili et tractabili dono invisibilia percipere, et temporali regno iustis moderaminibus exsecuto, aeternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine peccato rex regum vivit et gloriatur cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus.

4. *Alia:* Deus electorum fortitudo, et humilium celsitudo, qui in primordio per effusionem diluvii crimina mundi castigare voluisti, et per columbam ramum olivae portantem pacem terris redditam demonstrasti, iterumque Aaron famulum tuum per unctionem olei sacerdotem sanxisti, et postea per huius unguenti infusionem ad regendum populum israheliticum sacerdotes ac reges et prophetas perfecisti, vultum in oleo ecclesiae exhilarandum per propheticam famuli tui vocem David esse praedixisti: ita, quaesumus, omnipo-

8. fragilitatis: *corr. ex* fragilitati. — 12. *benedictio: unctio.* C. — 14. oleo: *suppl. ex* C *et edd.* — 15. per: *suppl. ex* C. — infusionem: *corr. ex* infusione. — 21. unitate: unitate eiusdem. C.

3. Ord. Rom. 150, Men. 258, Mur. 458, Mart. Ord. V, VI.
4. Men. 259, Mart. Ord. I, V, Leofr. Miss. 230

tens Pater, ut per huius creaturae pinguedinem hunc servum tuum ill. sanctificare tua benedictione digneris; eumque in similitudinem columbae pacem simplicitatis populo sibi subdito praestare, et exempla Aaron in Dei servitio diligenter imitari, regnique vestigia consiliis, scientia et aequitate iuditii semper assequi; vultumque humilitatis per hanc olei unctionem te adiuvante totius plebis paratum habere facias: Per Dominum nostrum.

Coronae regalis impositio.

5. Accipe coronam regni, quae licet ab indignis episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur. Quamque sanctitatis gloriam et honorem et opus fortitudinis expresse signare intelligas. Et per hanc te participem ministerii nostri non ignores; ita ut, sicut nos in interioribus pastores rectoresque animarum intelligimur, tu quoque in exterioribus verus Dei cultor strenuusque contra omnes adversitates Ecclesiae Christi defensor, regnique tibi a Deo dati, et per officium nostrae benedictionis in vice Apostolorum omniumque Sanctorum tuo regimini commissi, utilis exsecutor regnatorque proficuus semper appareas; ut inter gloriosos athletas, virtutum gemmis ornatus, et praemio sempiternae felicitatis coronatus, cum redemptore ac salvatore nostro Jhesu Christo, cuius nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris. Qui vivit et regnat.

Acceptio virgae.

6. Accipe virgam virtutis atque aequitatis, qua intelligas mulcere pios, et terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapsis manum porrigere; disperdasque superbos, et releves humiles: et aperiat tibi ostium Jhesus Christus Dominus noster, qui de se ipso ait: Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur. Et ipse, qui est clavis David, et

19. regimini: *corr. cum* C *ex* regimine. — 22. nostro: *om.* C. — 26. Accipe: *lit.* A *variis ornatibus et coloribus pulchre depicta.*

5. Ord. Rom. 151, Mart. Ord. VI.
6. Ord. Rom. 151, Men. 261, Mart. Ord. VI.

sceptrum domus Israel, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit. Sitque tibi auctor qui educit vinctum de domo carceris sedentemque in tenebris et umbra mortis: et in omnibus sequi merearis eum de quo David propheta cecinit: Sedes tua Deus in saeculum saeculi; virga aequitatis virga regni tui; et imitando ipsum, diligas iustitiam, et odio habeas iniquitatem; quia propterea unxit te Deus Deus tuus, ad exemplum illius quem ante saecula unxerat oleo exultationis prae participibus suis, Jhesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat.

Acceptio gladii.

7. Accipe gladium per manus episcoporum licet indignas, vice tamen et auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas, tibi regaliter impositum, nostraeque benedictionis officio in defensionem sanctae Dei Ecclesiae divinitus ordinatum: et esto memor de quo psalmista prophetavit dicens: Accingere gladio tuo super foemur tuum, potentissime; ut in hoc per eundem vim aequitatis exerceas, molem iniquitatis potenter destruas, et sanctam Dei Ecclesiam eiusque fideles propugnes ac protegas: nec minus in fide falsos, quam christiani nominis hostes execres ac destruas: viduas et pupillos clementer adiuves ac defendas: desolata restaures, restaurata conserves; ulciscaris iniusta: confirmes bene disposita: quatemus haec agendo virtutum triumpho gloriosus, iustitiaeque cultor egregius cum mundi Salvatore, cuius typum geris in nomine, sine fine merearis regnare. Qui cum Patre et Spiritu sancto.

Acceptio anuli.

8. Accipe regiae dignitatis anulum: et per hunc in te catholicae fidei cognosce signaculum: quia ut hodie ordinaris caput et princeps regni ac populi, ita perseverabilis auctor

20. in: sub. C. — 24. agendo: in agendo. C.

7. Ord. Rom. 150, Mart Ord. VI.
8. Ord. Rom. 150, Mart. Ord. VI.

ac stabilitor christianitatis, et christianae fidei permaneas: ut felix in opere, locuples in fide, cum rege regum glorieris per aevum: cui est honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

Quando ponitur in solio.

9. Sta et retine amodo locum, quem hucusque paterna successione tenuisti haereditario iure tibi delegatum, per auctoritatem Dei omnipotentis.

Sequitur benedictio.

10 Benedic, Domine, hunc praesulem principem, qui regna regum omnium a saeculo moderaris. Amen.

Et tali eum benedictione glorifica, ut davidicum teneat sublimitatis sceptrum salutis, et sanctificatus protinus reperiatur in merito. Amen.

Da ei a tuo Spiramine cum mansuetudine ita regere populum, sicut Salomonem fecisti regnum obtinere pacificum. Amen.

Tibi semper cum timore sit subditus, tibique militet cum quieto regno; sit tuo clypeo protectus cum proceribus, et ubique maneat sine pugna victor. Amen.

Sis ei contra acies inimicorum lorica, in adversis galea, in prosperis patientia, in protectione clypeus sempiternus. Amen.

Vivat inter gentium catervas magnanimus, sit in iuditiis aequitatis singularis. Amen.

Locupletet eum tua prodita (*sic*) dextera frugalem contineat patriam: et suis liberis tribuat profutura. Amen.

Da ei prolixitatem vitae per tempora, et in diebus eius oriatur iustitia. Amen.

Et praesta ut gentes illi teneant fidem, et proceres sui habeant pacem diligantque caritatem. Amen.

1. permaneas: *om.* C. — 26. Locupletet: *corr. ex* Locuplet.

9. Ord. Rom. 151, Men. 262, Mart. Ord. V, VI.
10. Men. 262, Leofr. Miss. 231, Mart. Ord. I.

Tu eius mentem dignus illabere, ut amore te timeat et timore diligat. Amen.

Tu ei honor sis, tu gaudium, tu voluntas, tu in merore solatium, in ambiguitate consilium, in itinere consolator: tu in iniuriis defensor, in tribulatione patientia, in aegritudine medicina. Amen.

In te habeat omne consilium; per te tua discat; a te commissam sapientiam regni gubernacula moderari *(sic)*; ut semper felix semperque a te gaudens, de tuis mereatur beneficiis gratulari, et aeternis valeat commerciis copulari. Amen.

Et quem tu nobis hodie tua misericordia iocundum praesentare dignatus es, tua facias multorum annorum curriculis protectione securum. Amen.

Et ita populus iste pullulet coalitus benedictione aeternitatis, ut semper maneant tripudiantes in pace victores. Amen.

Quod ipse praestare digneris, qui cum aeterno Patre simul cum Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

11. *Oratio:* Omnipotens Deus det tibi de rore caeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini, serviantque tibi populi, et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matristuae; et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur; et Deus erit adiutor tuus: et omnipotens benedicet tibi, et *(sic)* benedictionibus caeli desuper in montibus et in collibus, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum et uvarum pomorumque: benedictiones patrum antiquorum Abraham et Isaac et Iacob coadunatae sint super te. Per.

12. *Alia:* Benedic, Domine, fortitudinem principis, et opera manuum illius suscipe, et benedictione tua terra eius de pomis repleatur: de fructu caeli et de rore eius atque abyssi subiacentis, de fructu solis et lunae, de vertice antiquorum montium; de pomis aeternorum collium, de frugibus

11. Mart. Ord. I.
12. Mart. Ord. I.

terrae et plenitudinis eius. Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput eius ill., et plena sit benedictio Domini in filiis eius, et tingat in oleo pedem suum: cornua rinocerontis cornua illius, in ipsis ventilabis gentes usque ad terminos terrae: et ascensor caeli auxiliator suus in sempiternum fiat.

13. *Et dicat omnis populus tribus vicibus cum episcopis:* Vivat Rex ill. in sempiternum. Amen.

14. *Tunc confirmabitur cum benedictione, et omnes principes populi ad osculandum regem accedant.*

Oratio.

15. Deus, perpetuitatis auctor, dux virtutum omnium, cunctorum hostium victor, benedic hunc famulum tuum ill. tibi suum caput inclinans: effunde super eum gratiam firmam, et prolixa sanitate eum et prospera felicitate conserva, et ubicumque vel pro quibus auxilium tuum invocaverit, cito adsis et protegas et defendas. Per Dominum.

16. Rectitudo regis est noviter ordinati et in solium sublimati haec tria praecepta populo christiano tibi subdito praecipere:

I. In primis ut Ecclesia Dei et omnis populus christianus veram pacem servet in omni tempore.

II. Aliud est, ut rapacitates et omnes iniquitates omnibus gradibus interdicat.

III. Tertium est, ut in omnibus iudiciis aequitatem et misericordiam praecipiat, ut nobis indulgeat suam misericordiam clemens et misericors Deus.

1. Benedictio illius: *corr. ex* benedictione, *cum. edd.* — 18. Rectitudo.... misericors Deus: *exarat literis minoribus.*

13. Mart. Ord. I, V, Leofr. Miss. 221.
14. Mart. Ord. I, V, Leofr. Miss. 231.
15. Mart. Ord. I, V, Leofr. Miss. 231.
16. Mart. Ord. I, V, Leofr. Miss. 232.

ORDO AD REGINAM CONSECRANDAM.

1. Omnipotens sempiterne Deus, fons et origo totius bonitatis, qui foeminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando adversaris, sed dignanter comprobando potius eligis; et qui infirma mundi eligendo fortia quaeque confundere decrevisti; quique etiam gloriae virtutisque tuae triumphum in manu Iudith foeminae olim iudaicae plebi de hoste saevissimo resignare voluisti, respice, quaesumus, ad preces humilitatis nostrae; et super hanc famulam tuam ill., quam supplici devotione in reginam eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eamque dextera tuae potentiae semper et ubique circumda: ut umbone muniminis tui undique secus firmiter protecta, visibilis seu invisibilis hostis nequitias triumphaliter expugnare valeat; et una cum Sara atque Rebecca, Lia et Rachel, beatis reverendisque foeminis, fructu uteri sui foecundari seu gratulari mereatur, ad decorem totius regni, statumque sanctae Dei Ecclesiae regendum nec non protegendum: Per Dominum nostrum, qui ex intemerato beatae Mariae Virginis alvo nasci, visitare ac renovare dignatus est hunc mundum. Qui tecum vivit et gloriatur in unitate Spiritus sancti Deus, per immortalia saecula saeculorum. Amen.

Item benedictio ejusdem ante altare.

2. Deus, qui solus habes immortalitatem, lucemque habitas inaccessibilem, cuius providentia in sui dispositione non fallitur; qui fecisti quae futura sunt, et vocas ea quae non sunt tamquam ea quae sunt; qui superbos aequo moderamine de principatu deicis, atque humiles dignanter in sublime provehis, ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus: ut sicut Hester reginam Israhelis causa salutis de captivitatis suae. *)

2. Omnipotens: O *init. ornatibus et coloribus depict.* — sempiterne: aeterne. C. — 11. dextera: *corr. ex* dexterae. — 18. Per: Per Christum. C. — 20. dignatus est hunc: hunc dignatus est. C.

1. Ord. Rom. 152, Mart. Ord. VI.

2. Ord. Rom. 152, Mart. Ord. V. *) Reliqua desiderantur in codice, utpote mutilo; forte suppleri poterunt ex Ord. Rom., l. c., et ex seq. Ordine II, ed. ex cod. saec. XV, Basil. Ambros. Mediolani.

II ORDO

EX COD. BASIL. AMBROS. SAEC. XV *)

ORDO AD CORONANDOS
REGEM ET REGINAM ITALIAE.

1. *Dum serenissimus rex romanorum, tamquam electus, pervenit in Italiam ad accipiendum coronam ferrea in civitate Mediolani ante altare almi confessoris ac eximii doctoris*

3. ORDO etc.: *ma. recent. in fol. adscit.*

*) Codex perinsignis basilicae minoris S. Ambrosii Mediolani, membr. 0,15 × 0,36, fol. 13 constat, et, ut ipsa elegantia litterarum suadet, pro coronationibus saec. XV est adhibitus; id confirmatur testimoniis nostratum *(Morigia, Historia di Milano, l. I, c. XXV*, et *Corio, Historia di Milano, par. V ad an. 1431)* qui ritus hujus benedictionis summatim ad normam huius ordinis retulerunt: habes in hoc II Ordine totum codicem, qui incipit a verbis: *Dum serenissimus....* Nec solus ille codex continet hunc ordinem: idem *Ordo ad coronandum Regem*, omissa coronatione Reginae, legitur, ma. poster. exaratus, in calce alterius codicis saec. XV; codex est celebre Missale a Johanne Galeatio Vicecomite, basilicae ambrosianae dono datum, vulgo dictum *Messale dell'incoronazione*, pulcherrime depictum; nomen artificis reperitur fol. CXLVI', nempe: *Hoc de Imbonate opus fecit Anovelus:* fol. CCXC legitur: *Expletum anno Domini MCCCLXX* (sed litterae *LXX*, 2 ma. inscriptae sunt in rasura, ita tamen ut sub lit. *L* appareat *C*, 1. ma., unde constat aetas ms. recentior, sed non posterior anno MCCCCII, quo Joannes Galeatius morti occubuit) *XXIIII maii per presbyterum Fatium de Castoldis benefitialem ecclesiae sanctae Eufimiae portae Romanae Mediolani.* Lectiones varias huius alterius codicis referam in calce praesentis editionis, cum nota: *Miss. Vic.* — cfr. Martene, Ord. V, ad bened. Imperatorem in Eccl. Mediol.

beati Ambrosii (sic). *In primis cum scitur adventus suus, convocetur universus clerus, quorumcumque ordinum, ad ecclesiam majorem Mediolani: ad quam congregationem veniant omnes cum reliquiis sanctorum, thuribulis, crucibus et apparatibus, honoratius quam fieri poterit; quibus congregatis, procedant ordinate occurrendo in adventum regis coronandi ad introitum suburbii, quod dominus coronandus intraturus est.*

2. *Et ibidem ordinate extensi, secundum continentiam uniuscuiusque ordinis, expectent adventum domini regis. Et ibi adsint nobiles civitatis, milites, doctores, etc. cum baldechino ornato, ut moris est in talibus: et cum aspectus regis videbitur, incipiat primicerius lectorum Ecclesiae mediolanensis antiphonam:* Benedictus qui venit in nomine Domini, *etc. Quando est prope ad introitum baldichini, elevetur crux aurea per dominum Archiepiscopum Mediolani ad osculum pacis, et cantetur haec ant.:* Elevate signum in bonum, quoniam dominus prope est, *etc.: clerus respondeat:* Universi qui te expectant, non confundentur; *successive cantetur psallenda:* Confortamini, et iam nolite timere; ecce enim dominus iuditium retribuet; ipse venit et omnes salvos fatiet. *Successive usque ad palatium regis cantetur:* Laudemus Patrem de caelis, *etc.* *)

18. expectant: *corr. ex* exptectent.

2. *) Haec extant etiam in alio Ordine in cod. Ambrosiano saec. XV, ms. chart. sign. *I, 114 inf.* Cum tamen nullam notam authenticitatis praeseferat ille « Ordo servandus ad benedicendum et coronandum do« minum regem Italiae venturum ad coronationem in civitate Mediolani « in ecclesia sanctissimi doctoris Ambrosii, etc. » sufficiat notitia huius codicis, qui nunquam in usum liturgicum venit, sed, ut nonnulla alia diversi argumenti et nota synchrona indicant, ad quemdam mercatorem pertinuit, qui suamet manu scripsit: « Iste liber est mei Iacobi « de Giringelis de Mediolano. »

IN DIE CORONATIONIS.
INCIPIT ORDO AD CONSECRANDUM REGEM.

3. *In die coronationis veniant cum magna processione in palatium regis episcopi suffraganei episcopaliter parati cum omnibus crucibus, ut mos est in solempnitatibus incedere; et illi de centum cum primicerio suo, more solito, ornati.*

4. *Dicat unus episcoporum:* Dominus vobiscum.

Oratio: Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum ill. regni fastigio dignatus es sublimare, tribue, quaesumus: ut ita in huius saeculi cursu cunctorum in commune (*sic*) salutem disponat, quatenus a tuae veritatis tramite non recedat. Per Dominum nostrum.

5. *Deinde deducitur rex ab episcopis cum processione praedicta usque ad ecclesiam beati Ambrosii; ducibus, marchionibus, nobilibusque cum populo ipsos pontifices et regem comitantibus, clericis canentibus psallentium:* *) Benedices coronam anni, etc. *Ant. II.* Beatus homo. III. Iocundus homo. IIII. In via peccatorum non stetit. V. Erit iustus. VI. Desiderabiliora. VII. Dicit Dominus super quem. VIII. Sicut fui cum Moyse, etc.

6. *Serenissimus rex cum pervenerit ad basilicam constructam in honorem omnipotentis Dei ac praedicti doctoris beati Ambrosii, videlicet ad portam cortinae ante atrium dictae basilicae, ubi est columpna marmorea recta, recipiatur a domino archiepiscopo cum dominis ordinariis ac offitialibus ecclesiae Mediolanensis, ac praeposito, canonicis, ac abbate et monacis dictae ecclesiae cum pluvialibus, crucibus et thuribulis. Et re-*

1-2. IN DIE.... REGEM. *suppl. ex Miss. Vic.*

4. Ord. Rom. 147, Mur. 189, Gerb. 276 (2), Leofr. Miss. 180.

5. *) *psallentium:* Iam in notis ad Beroldum sensum huius vocis exposui; psallentium, enim, teste Landulpho, sen., in nostro ritu idem sonabat ac *processio;* unde ipsae antiphonae canendae in processionibus vocabantur: *psallentium.*

6. Ord. Rom. 147.

verendissimus dominus archiepiscopus, seu archipresbyter pro eo, porrigat sibi crucem auream ad osculum pacis.

Et processionaliter pedester deducatur usque ad portam praedictae ecclesiae, cantantibus universis hanc antiphonam: Ecce mitto angelum meum, etc., *usque ante altare dictae ecclesiae. Et ibi per dominum archiepiscopum dicatur haec oratio:*

7. Deus, in cuius manu corda sunt regum, inclina ad preces humilitatis nostrae aures misericordiae tuae, et imperatori nostro famulo tuo ill. regimen tuae appone sapientiae: ut, haustis de tuo fonte consiliis, et tibi placeat, et super omnia regna praecellat. Per Dominum nostrum.

8. *Subsequenter collocetur ad locum ordinatum, et apparatum pro ipso serenissimo rege, et ibi cantetur ant:* Exaltent eum in ecclesia plebis, etc. *Ibi afferantur regalia, et deponantur coram altari.*

9. *Tunc interrogetur ipse rex a domino archiepiscopo per hunc modum:*

Vultis sanctas Dei ecclesias ac rectores earum canonice institutos, et secundum religionem christianam debitam *(sic)* viventes, necnon et cunctum populum sibi et vobis subiectum iuste ac religiose regali providentia defendere ac regere?

Responsio regis: Profiteor in quantum divino fultus adiutorio ac solatio omnium fidelium meorum valuero, ita me per omnia esse acturum; et ita iuro et promitto.

10. *Tunc praedictus pontifex se praeparet ad Missam celebrandam; et incipiatur Missa per confessionem praedicti pontificis una cum praedicto rege. Tunc fient letaniae, et hymnus:* Veni creator Spiritus. *Postea cantores incipiant introitum Missae; deinde praedictus dominus archiepiscopus incipiat hymnum Angelorum videlicet:* Gloria in excelsis, etc.

12. Per Dominum nostrum: *om. Miss. Vic.*

7. Gel. 731 (276), Mur. 456, Gerb. 277.

11. *Oratio super populum:* Deus, qui discipulis tuis Spiritum sanctum paraclitum in ignis fervore tui amoris mittere dignatus es; da populis tuis in unitate fidei esse ferventes: ut in tua semper dilectione permanentes, et in fide inveniantur stabiles et in opere efficaces.

Alia oratio: *) Deus regnorum omnium salvator, et christiani protector imperii, da servo tuo N. imperatori nostro triumphum virtutis scienter excolere: ut qui tua institutione imperat semper tuitione triumphet. Per Dominum nostrum, etc.

12. *Postea ascendat unus ex subdiaconibus, legat lectionem: versiculis vero decantatis, unus ex diaconibus ascendat pulpitum, et cantet epistolam cum* Dominus vobiscum, etc. *)

13. *Cumque cantatum fuerit epistola et* Alleluja, *procedat serenissimus rex ad altare, genu flexo; et ibi fiet unctio in capite seu in vertice de oleo exorcizato, per praedictum dominum archiepiscopum. Et cantent clerici ant.:* Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, etc.

14. *Post haec dominus archiepiscopus dicat hanc orationem:*

Domine Deus omnipotens, cuius est omnis potestas et dignitas, te supplici devotione atque humillima prece deposcimus, ut huic famulo tuo ill. prosperum imperatoriae dignitatis concedas effectum: ut in tua dispositione constituto ad regendum ecclesiam tuam sanctam, nihil ei praesentia offitiant, futura nihil obsistant; sed, inspirante sancti Spiritus

1-8. *Oratio super populum....* nostrum, etc.: *Miss. Vic. legit:* et Missam de Spiritu sancto *cum collecta regis videlicet:* Deus regnorum omnium, etc. — 22. supplici: *corr. ex* supplicantibus *cum Miss. Vic.*

11. Gel. 602 (124), Men. 99, Pam. 300. *) Gel. 731 (276), Pam. 426, Gerb. 276, Leofr. Miss. 179.

12. *) Haec ad ritum Missae Pontificalis Ambrosianae pertinent, et adhuc servantur; cfr.: *Caerem. Ambros.*, ed. 1619, pag. 108 et 119; necnon *Beroldum*, edit. 1894, pag. 49 et seq.

14. Ord. Rom. 153.

dono, populum sibi subditum aequo iustitiae libramine regere valeat, et in omnibus operibus suis te semper timeat, tibique iugiter placere contendat, Per Dominum nostrum.

15. *Alia oratio:* Deus Dei Filius, Jhesus Christus Dominus noster, qui a Patre oleo exultationis unctus est prae participibus suis, ipse per praesentem sacri ungiminis infusionem Spiritus Paracliti super caput tuum infundat benedictionem; eandemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat; quatenus hoc visibili et tractabili dono invisibilia percipere, et temporali regno iustis miserationibus exsecuto, aeternaliter corregnare ei merearis, qui solus sine peccato rex regum vivit et gloriatur cum Deo Patre in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

16. *Hic detur annulus a metropolitano:*

Accipe regiae dignitatis annulum, et per hunc catholicae fidei in te cognosce signaculum, quia ut sicut hodie ordinaris caput ac princeps regni et populi, ita perseverabis auctor ac stabilitor christianitatis et christianae fidei; et per hunc scias triumphali potentia hostes repellere, haereses destruere, subditos coadiuvare et necti perseveralitati *(sic)* fidei catholicae, ut felix in opere, locuples in fide, ut (*sic*) cum rege regum glorieris in aeternitate. Per eum cui est honor et gloria, per infinita saecula saeculorum. Amen.

17. *Post haec a domino archiepiscopo accipiat ensem dicente:*

Accipe gladium per manus pontificis licet indignas, vice tamen auctoritate *(sic)* sanctorum Apostolorum conse-

1. libramine: liberamine. *Miss. Vic.* — 4. *Alia oratio: Sequitur oratio alia:* Miss. Vic. — 21. perseveralitati: perseverabiliti *(sic) Miss. Vic.* — 28. vice: in vice *Miss. Vic.*

15. Ord. Rom. 150, Men. 260, Mur. 458, Gerb. 107, Mart. Ord. V, VI.

16. Gerb. 108, Mart. Ord. VI.

17. Ord. Rom. 150, Gerb. 107, Mart. Ord. VI.

cratas, tibi regaliter impositum, nostraeque benedictionis officio in defensionem sanctae Dei Ecclesiae divinitus ordinatum: et esto memor de quo psalmista prophetavit dicens: Accingere gladio tuo super foemur tuum, potentissime; ut in hoc per eundem vim exerceas aequitatis, molem iniquitatis potenter destruas, et sanctam Dei Ecclesiam eiusque fideles propugnes ac protegas: nec minus sub fide falsos, quam christiani nominis hostes execres ac destruas: viduas et pupillos clementer adiuves et defendas: restaures desolata, conserves restaurata; ulciscaris iniusta: confirmes bene disposita: quatenus hoc agendo virtutum triumpho gloriosus, iustitiaeque cultor egregius, cuius cum mundi Salvatore typum geris in nomine sine fine merearis regnare. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

18. *Post haec dominus archiepiscopus coronam capiti regis cum episcopis suis imponat et dicat:*

Accipe coronam regni, quae licet ab indignis manibus *(sic)* capiti tuo imponitur, quamque sanctitatis gloriam et honorem ac opus fortitudinis expresse signare intelligas. Et per hanc te participem ministerii nostri non ignores; ita ut, sicut nos in interioribus pastores rectoresque animarum intelligimur, tu quoque in exterioribus verus Dei cultor strenuusque contra omnes adversitates Ecclesiae Christi defensor, regnique a Deo tibi dati, et per officium nostrae benedictionis vice Apostolorum omniumque Sanctorum tuo regimini a Deo commissi, utilis exsecutor regnatorque perspicuus semper appareas: ut inter gloriosos athletas, virtutum gemmis ornatus, et praemio sempiternae felicitatis coronatus, cum redemptore ac salvatore Jhesu Christo, cuius nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris. Qui vivit et regnat Deus, cum Patre in unitate Spiritus sancti per omnia saecula saeculorum.

18. Ord. Rom. 151, Gerb. 108, Mart. Ord. VI.

19. *Hic detur ei sceptrum et pomum aureum per antedictum pontificem:*

Accipe sceptrum regiae potestatis insigne, virgam regni, virgam virtutis, qua te ipsum bene regas, sanctamque Ecclesiam et populum videlicet christianum tibi a Deo commissum regia virtute defendas ab improbis, pravos corrigas, rectos pacifices; et ut viam rectam tenere possint, tuo iuvamine dirigas: quatenus de temporali regno ad aeternum regnum pervenias, ipso adiuvante, cuius regimen et imperium sine fine permanet in saecula saeculorum.

20. *Tunc benedicat eum dominus archiepiscopus dicens:* Dominus vobiscum.

Benedic, Domine, hunc regem nostrum, qui regna omnium moderaris a saeculo, et tali eum benedictione glorifica, ut davidicae teneat sublimitatis sceptrum, et glorificatus in eius protinus reperiatur merito. Per Dominum.

21. *Unus ex episcopis in maiori statu constitutus dicat hanc orationem:* Dominus vobiscum.

Extendat omnipotens Deus dexteram suae benedictionis, et effundat super te donum suae protectionis, et circumdet muro felicitatis ac custodia suae propitiationis, sanctae Mariae ac beati Petri Apostolorum principis sanctique Ambrosii atque omnium Sanctorum intercedentibus meritis. Per Dominum.

22. *Alter episcopus sequens dicat:*

Dominus vobiscum.

Victoriosum te atque triumphatorem de invisibilibus atque visibilibus hostibus semper effitiat, et sancti nominis sui timorem pariter et amorem continuo cordi tuo infundat, et in fide recta ac bonis operibus perseverabilem reddat, et, pace in diebus tuis concessa, cum palma victoriae te ad perpetuum regnum perducat. Per Dominum.

19. Men. 261, Mart. Ord. V.
20. Men. 262, Gerb. 106, Mart. Ord. V, Leofr. Miss. 231.
21. Men. 261, Mart. Ord. V.
22. Men. 262, Mart. Ord. V.

23. *His autem peractis, chorus dictae ecclesiae sancti Ambrosii tam canonici quam monaci pluvialibus induti et ornati, ut supra dictum est, unanimiter alta voce dicant:* Te Deum laudamus. *Ceteri vero clerici respondeant:* Te Dominum confitemur, *et sic alternando usque in finem.*

24. *Post haec ascendat serenissimus imperator ad locum sibi paratum, et ibi stet in pede recto, versus pulpitum donec decantatum fuerit evangelium: finito vero, sedeat in throno suo usque ad munus offerendum.*

Sequitur Missa.

25. *Oratio super sindonem:* Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui tuae maiestatis effectu per Filii tui mirabile sacramentum cooperante sancto Spiritu sunt renati caelestis vitae fiant conversatione perpetui.

Alia oratio: Omnipotens sempiterne Deus, qui de plebe tua imperii fastigio famulum tuum N. dignatus es sublimare, fac eum humilitatis, iustitiae ceterarumque virtutum bono exuberare: ut a tuae veritatis tramite non recedat, et ad te, qui vita es, gratiosus perveniat. Per Dominum etc.

26. *Sequitur oblatio panis et vini; qua facta, imperator, corona deposita, ad altare accedat, et ibi offerat munus ad decorem et ornamentum dicti altaris: qua oblatione sic facta, praecipiatur* (sic) *per dominum praepositum et canonicos dictae ecclesiae, qui aderunt ad custodiam praedicti altaris, donec di-*

10. *Sequitur Missa, etc.:* Miss. Vic., ceteris omissis, ponit ut infra: *Facta oblatione panis et vini in altare, tunc imperator, corona deposita, ad altare accedat, et ibi offerat munus ad decorem et ornamentum dicti altaris. Qua oblatione sic facta, percipiatur per dominum praepositum et canonicos dictae ecclesiae, qui aderunt ad custodiam altaris praedicti, donec dispensetur ad voluntatem dicti imperatoris. Et sic facto, redeat ad locum suum cum diadema in capite, et ibi stet usque ad receptionem Corporis et sanguinis Domini nostri Jhesu Christi: et tunc se praeparet ad recipiendum sacram Communionem ante altare de manu dicti pontificis. Subsequenter finiatur Missa. Qua finita, pontificalem benedictionem reverenter accipiat. Quo facto, a suis baronibus assotietur ad palatium suum Sermo vero fiet in Missa ante consecrationem Corporis Christi.* — 19. ad: *corr. ex* a.

23. Ord. Rom. 151.

spensetur ad voluntatem praefati imperatoris. Et sic facto, redeat ad locum suum cum diadema in capite, et ibi stet usque ad receptionem corporis et sanguinis Domini nostri Jhesu Christi; et tunc se praeparet ad recipiendum sacram communionem ante altare de manu praefati pontificis.

27. *Et subsequenter procedat dominus archiepiscopus Missam; et cantata offerenda dicat:* Dominus vobiscum. *Symbolum:* Credo in unum Deum. *Quo finito, sequitur oratio super oblatam.*

28. Praesta, quaesumus, Domine: ut secundum promissionem Filii tui D. N. J. C. Spiritus sanctus et huius nobis sacrificii copiosius revelet archanum, et omnem propitius reseret veritatem.

*Alia oratio:**) Munera, Domine, quaesumus, oblata sanctifica, ut et nobis Unigeniti tui corpus et sanguis fiant, et N. imperatori nostro ad optinendam animae corporisque salutem et ad peragendum iniunctum offitium, te largiente, usquequaque profitiat. Per eundem, etc.

29. *Praefatio:* V. Aeterne Deus per Christum Dominum nostrum. Per quem te supplices rogamus et petimus, ut sicut nobis aeternae securitatis aditum, passione Domini nostri Jesu Christi et Spiritus sancti inluminatione reserasti; sic etiam tranquillitatem vitae praesentis indulgeas: per quam tanti doni participes devotio quieta proficiat, et negligentiae terror illatus ad fidei transferatur augmentum. Per eundem.

30. *Fiat sermo ante elevationem Sacramenti: et sequitur Missa, ut moris est, data pace ante communionem; et facta communione per dominum archiepiscopum, serenissimus rex accedat ad altare, deposita corona, et recipiat communionem de manu praefati domini archiepiscopi: et sic, facta communione, dicantur orationes post communionem.*

31. Haec nobis, Domine, munera sumpta profitiant:

28. *) Mur. 188, Leofr. Miss. 180.

ut illo iugiter ferveamus Spiritu, quem Apostolis tuis ineffabiliter infudisti.

Alia oratio: *) Haec, Domine, salutaris Sacramenti perceptio peccatorum nostrorum maculas diluat; et N. imperatorem nostrum ad regendum secundum tuam voluntatem populum idoneum reddat: ut hoc salutari mysterio contra visibiles et invisibiles hostes reddatur invictus, per quod mundus est divina dispensatione redemptus. Per Dominum, etc.

Et finita Missa, accipiat rex pontificalem benedictionem reverenter. Quo facto a suis baronibus assotietur ad palatium suum.

ORDO AD BENEDICENDUM REGINAM.

1. *Debet regina adduci ad ecclesiam cum honore, et in ipso ingressu dicat dominus archiepiscopus:*

Omnipotens sempiterne Deus, fons et origo totius bonitatis, qui foeminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando averteris, sed dignanter comprobando potius eligis; et qui infirma mundi eligendo fortia quaeque confundere decrevisti; quique etiam gloriae virtutisque tuae triumphum in manu Judith foeminae olim iudaicae plebi de hoste saevissimo resignare voluisti, respice, quaesumus, ad preces humilitatis nostrae; et super hanc famulam tuam ill., quam supplici devotione in reginam eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eamque dextera tuae potentiae semper et ubique circumda: ut in benedictione tui muniminis undique firmiter protecta, visibilis seu invisibilis hostis nequitias triumphaliter expugnare valeat; et una cum Sara atque Rebecca, Lia atque Rachel, beatis reverendisque foeminis, fructu uteri sui foecundari seu gratulari mereatur, ad decorem totius regni, statumque sanctae Dei Ecclesiae regen-

14. *ingressu:* corr. ex *regressu.* — 17. averteris: *corr. ex* aveteris.

31. *) Mur. 190, Gerb. 109, Leofr. Miss. 180.
1. Ord. Rom. 152, Gerb. 109, Mart. Ord. VI.

dum nec non protegendum: Per Christum Dominum nostrum, qui ex intemeratae beatae Mariae Virginis alvo nasci, visitare ac renovare est dignatus hunc mundum. Qui tecum vivit et gloriatur in unitate Spiritus sancti Deus, per immortalia saecula saeculorum. Amen.

2. *Tunc intret ecclesiam, et prosternat se ante altare ad orationem, et post pusillum ab ipsis* (lege: *episcopis*) *elevata inclinet caput suum, et archiepiscopus consecrat eam hoc modo:*

Deus, qui solus habes immortalitatem lucemque habitas inaccessibilem, cuius providentia in sui dispositione non fallitur, qui fecisti ea quae futura sunt, et revocas ea quae non sunt tamquam ea quae sunt, qui superbos aequo moderamine de principatu deicis, atque humiles dignanter in sublime provehis, ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus: ut sicut Hester reginam israheliticae eam (*sic*) salutis de captivitatis suae compede solutam ad regis Assueri thalamum regnique sui consortium transire fecisti; ita hanc famulam tuam ill. humilitatis nostrae benedictione christianae plebis gratia salutis, ad dignam sublimemque regis nostri copulam et regni sui participium transire misericorditer concedas: et ut in regalis foedere coniugii semper permanens pudica, proximam virginitati palmam continere queat, tibique Deo vivo et vero in omnibus et super omnia iugiter placere desideret, et te inspirante quae tibi placita sunt toto corde perquirat, per.

3. *Tunc super scapulas capitis* (sic) *eius fundat dominus archiepiscopus oleum sanctum ad modum crucis, et dicat hacc verba:*

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, prosit tibi haec unctio olei in honorem et consecrationem aeternam.

4. *Sequitur oratio:* Spiritus sancti gratia, nostrae humilitatis officio, in te copiosa descendat, ut sicut manibus nostris licet indignis oleo materiali linita pinguescis exterius,

2. Ord. Rom. 152, Gerb. 109, Ord. Mart. VI.
3. Men. 363, Mart. Ord. V.
4. Ord. Rom. 152, Gerb. 109, Mart. Ord. VI.

ita eius invisibili ungimine *(sic)* delibuta impinguari merearis interius; eiusque spirituali unctione perfectissime semper imbuta, et illicita declinare tota mente et spernere discas et valeas, et utilia animae tuae cogitare, iugiter optare atque operari queas, et opereris, auxiliante Domino nostro Jesu Christo. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat.

5. *Hic detur ei anulus:*

Accipe annulum fidei signaculum sanctae Trinitatis, quo possis omnes pravitates haereticas devitare, et barbaras gentes virtute tibi praestita ad veritatis *(sic)* vocare. Per Christum Dominum.

6. Omnium fons bonorum, Domine, et cunctorum doctor provectuum tribue famulae tuae adeptam bene regere dignitatem, et a te sibi praestitam in omnibus operibus corrobora gloriam. Per Dominum nostrum.

7. *Hic coronetur dicendo:* Accipe coronam gloriae, honorem iocunditatis, ut splendida fulgeas, et aeterna exultatione coroneris. Per Christum dominum nostrum.

8. *Sequitur:* Officio nostrae indignitatis in reginam solemniter benedictam accipe coronam regalis excellentiae, quae, licet ab indignis, episcopalibus tamen manibus capiti tuo imponitur: unde sicut exterius auro et gemmis redimita enites, ita interius auro sapientiae virtutumque gemmis decorari contendas, quatenus post occasum huius saeculi cum prudentibus virginibus sponso perenni Domino nostro Jesu Christo digne et laudabiliter occurrens regina caelestis aulae merearis ingredi ianuam, auxiliante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita saecula saeculorum.

12. provectuum: *corr. ex* pronectum.

5. Men. 263, Mart. Ord. V.
6. Men. 264, Mart. Ord. III, V.
7. Men. 264, Mart. Ord. V.
8. Ord. Rom. 152.

9. *Sequitur oratio:* Omnipotens sempiterne Deus, affluentem Spiritum tuae benedictionis super famulam tuam nobis orantibus propitiatus infunde: ut quae manus nostrae impositione hodie regina efficitur, sanctificatione tua digna et electa permaneat, et nunquam postmodum de tua gratia separetur indigna.

9. Men. 264, Mart. Ord. V.

INDICES.

INDEX ALPHABETICUS

ORATIONUM, PRAEFATIONUM, ETC.

IN PONTIFICALI SAEC. IX, ET APPENDICE

Accipe
annulum fidei signaculum sanctae Trinitatis 133.
baculum pastoralis officii 92.
coronam a Domino 63.
coronam gloriae 133.
coronam regni 115, 127.
et commenda memoriae 36.
et esto verbi Dei relator 35.
gladium per manus 116, 126.
regiae dignitatis annulum 116, 126.
sceptrum 128.
virgam virtutis 115.
Actiones nostras, quaesumus, Domine 90.
Adesto,
Domine, supplicationibus nostris 73.
quæsumus, omnipotens Deus, honorum dator 41.
supplicationibus nostris 49.
Aedificatit Moyses 9.
Aeterne omnipotens Deus, precamur supplices 109.
Agnus Dei 3.
Aperi, Domine, oculos majestatis tuae 61.
Asperges me 6.
Aufer a nobis, Domine, 23.
Auxiliante
Domino Deo et Salvatore 38.
Domino nostro Jhesu Christo 50.
Benedic, Domine,
creaturam istam panis 74.
creaturam istam, ut sit 74.
fortitudinem principis 118.
hanc aquam 14.
hanc creaturam arborum 74.
hoc famulorum tuorum 76.
hos fructus 73.
hunc praesulem 117.
hunc regem nostrum 128.
Benedictio Dei Patris, 48.
Commune votum communis oratio 42.
Communicantes et diem sacratissimum 100.
Concede
nobis, omnipotens Deus, ut sicut in passione 97.
quaesumus, omnipotens Deus, ut famulum tuum 54, 90.
Confirma hoc Deus 10, 90.
Consecramus et sanctificamus hanc patenam 19.
Consecrare et sanctificare digneris 20.
Consecrentur manus istae 48.

Consolare, Domine, hanc famulam 61.
Cor mundum crea 105.
Corpora Sanctorum 25.
Creator et conservator 5.
Cum iocunditate 23.
Cunctorum institutor Deus 91.
Da, quaesumus, Domine, famulae tuae 59.
Dei Patris omnipotentis misericordiam 10.
Descendat, quaesumus 25.
Deum
ac Dominum nostrum deprecemur 39.
Patrem omnipotentem suppliciter deprecemur 34, 36.
Deus
aeternae, ante cuius conspectum 77.
aeternorum bonorum 55.
Angelorum, Deus Archangelorum 68.
a quo et Judas 97.
bonarum virtutum dator 88.
castitatis amator 61.
castorum corporum benignus 57; *(brevior)* 89.
conditor et defensor 69.
cui omnis potestas 92.
cuius Spiritu creatura omnis 27.
Dei Filius, Jesus Christus 114, 126.
electorum fortitudo 114.
humani generis benignissime 105.
humani generis creator 110.
in adiutorium 3.
in cuius manu corda sunt 124.
in sancto via tua 18.
omnipotens in cuius honorem altare 10.
omnipotens universarum rerum 11.
Deus
omnium regnorum 64.
Pater aeternae gloriae 63.
pietatis exordium 85.
perpetuitatis auctor 119.
regnorum omnium 125.
Sacramenti huius inventor 99, 107.
sanctificationum, omnipotens dominator 7.
sanctificationum omnium auctor 47.
Deus qui
ad salutem humani generis 4, 72.
discipulis tuis Spiritum Sanctum 125.
ex omnis coaptatione 26.
habitaculum tuum 60.
invisibiliter omnia contines 25.
loca nomini tuo dicata 7.
per Moysen legiferum 17.
potestate virtutis tuae 66.
praedicando aeterni regni 64.
sacrandorum tibi auctor 25.
solus habes immortalitatem 120, 132.
studio salutis 107.
vestimentum salutare 88.
Dignare,
Deus omnipotens, rex regum 13.
Domine, calicem istum 20.
Dilectissimi fratres
inter cetera 24.
elegistis hunc 49.
Domine Deus noster concede propitius 103.
Domine Deus omnipotens,
cuius est omnis potestas 125.
et Christe Jesu 74.
sicut ab initio 14.
Domine Jesu Christe, qui introitum 75.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus,
benedicere dignare famulum 36, 37, 39.
benedicere dignare hunc 35.
clemens et propitius preces 11.
honorum auctor et distributor 46.
osanna in excelsis 69.
qui caelum et terram 73.
qui per Chritum Jhesum 37.
Domine sancte, spei, fidei, gratiae 43.
Domum tuam, quaesumus 23.
Domus mea 7.
Ecce odor 9.
Elegerunt te fratres tui 35.
Emitte, Domine, Spiritum 108.
Erexit Jacob 8.
Exaudi Domine preces nostras et famulum tuum 62.
super hunc 41.
Exaudi nos,
omnipotens et misericors Deus, ut 65.
quaesumus, Domine Deus noster, et super 46.
Exorcizo te, creatura
aquae in nomine 4, 72.
aquae per Deum 5.
olei per Deum Patrem 107, 109.
olei in nomine Dei 107.
salis per Deum 4, 72.
Exorcizo te immundissime spiritus 108.
Extendat, omnipotens Deus, dexteram 128.
Exultabunt sancti 24.
Exurgat Deus 6.
Haec
Domine, salutaris, Sacramenti 131.
est generatio 31.
hostia, Domine, quaesumus emundet 53.
Haec
nobis, Domine, numera 130.
nos communio 54.
Hanc igitur oblationem....
etiam pro famulo tuo quem ad episcopatus 53.
famulae tuae 59, 60.
famulorum tuorum 66.
ob diem ieunii coenae dominicae 101.
In nomine Patris....
ungueo te 53.
prosit tibi 132.
Introibo ad altare 8.
Ipse tibi, quaesumus 98.
Ipsius praeceptum est 103.
Magnificare, Domine Deus noster 3.
Munera, Domine, quaesumus oblata sanctifica 130.
Narrabo nomen 7.
Oblatis hostiis, Domine 59.
Officio nostrae indignitatis 133.
Omnipotens aeterne Deus, creator omnium 112.
Omnipotens Deus
det tibi 118.
qui vos hodierna 88.
Trinitas inseparabilis 21.
Omnipotens dominator Christe 19.
Omnipotens et misericors Deus, qui
famulos tuos alis 76.
necessitatem 77.
per cuncta diffusus 76.
populo tuo 76.
sacerdotibus tuis 75.
Omnipotens et misericors Deus, sempiterna dulcedo 77.
Omnipotens sempiterne Deus
affluentem Spiritum 91, 134.
altare nomini tuo 26.
cuius sanctum 21.
fons et origo 120, 131.
insere te 73.

Omnipotens sempiterne Deus
qui ante archam 18.
qui de plebe tua 129.
qui famulum tuum 123.
respice propitius 27.
Omnium Domine fons 92.
Omnium fons bonorum 133.
Oremus, dilectissimi
fratres, ut Dominus 20.
Deum Patrem 40, 46.
Oremus, fratres dilectissimi, ut Deus 20.
Pax huic domui 2.
Per quem haec omnia 102.
Praesta, quaesumus,
Domine, ut secundum promissionem 130.
Praesta, quaesumus, omnipotens Deus,
huic famulo tuo 31.
ut huic famulo 27.
ut qui tuae majestatis 129.
Preces famulae tuae 59.
Profiteor in quantum 124.
Propitiare, Domine, supplicationibus nostris
et inclinato huic 51.
et institutis tuis 66.
Prospice, omnipotens Deus, serenis obtutibus 62.
Quaesumus, omnipotens Deus,
ut hoc in loco 26.
instituta providentiae tuae 67.
Quoniam, dilectissimi fratres 44.
Rectitudo regis est 119.
Respice, Domine,
famulae tuae 59.
propitius super hanc 89.
Respice propitius, Domine, super hanc 56.
Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens aeterne Deus, ut digneris 21.
Sanctifica, Domine, signaculum passionis 21.
Sanctificetur
istud hospitium 77.
hoc templum 9.
Sic agite 34.
Singulare illud repropitiatorium quod 11.
Sit nobis, fratres, communis oratio 47.
Spiritus Sancti gratia 132.
Sta et retine amodo locum 117.
Suscipe, Domine, preces et hostias 64.
Suscipe, quaesumus, Domine, pro sacro connubio 66.
Te invocamus, Domine....
super has famulas 55.
ut hunc famulum 113.
Terribilis est locus 25.
Tollite portas 2.
Tu es, Domine, qui 31.
Unanimes atque concordes 98, 107
Vere....
Dominator Domine Deus, Rex unctus, auctor 98, 107.
Deus honorum omnium, Deus omnium 52, 54.
Per quem Maiestatem, 86.
Per quem te supplices deprecamur 26.
Per quem te supplices rogamus 130.
Qui cum Deus esset 100.
Qui foedera nuptiarum 66.
Qui post offendicula lapsus 12.
Viam sanctorum omnium 75.
Victoriosum te atque triumphatorem 128.
Vide cuius ministerium 38.
Visibilium et invisibilium 61.
Vivat Rex 119.
Votivis, quaesumus, Domine, famulae tuae 59.
Vox Domini 17.
Vultis sanctas Dei ecclesias 124.

INDEX RERUM

IN PRAEFATIONE ET NOTIS

INSIGNIORUM

Abbatum confirmatio et benedictio ab Episcopis p. 54, n. 1.
Alba cum dalmatica usque ad saec. XII praerogativa Ordinariorum Ecclesiae Mediolan., Canonicorum S. Ambrosii, et Abbatum p. 40, n. 17.
Altare habens olim quinque concavitates orbiculares pro sacris unctionibus p. 8, n. 20.
S. Ambrosii Praepositus et Canonici; (v. *Alba*, et *Tonsura*.)
Aquileiensis et Mediolonensis Episcoporum mutua consecratio p. 50, not.
Archidiaconus Ecclesiae Mediolanen. convocabat Episcopos suffraganeos et clerum pro electione Archiepiscopi p. 51, n. 40.
Archiepiscopus Mediolani electus a suffraganeis et clero, consecratus olim ab Aquileien., post saec. VI a suffraganeo episcopo p. 50, n. 38 (v. *Episcopus*).
Archipresbyter Mediolani, absente Archiepiscopo, recipit imperatorem coronandum p. 124.
Benedictio, quae a S. Augustino *oratio*, ab iliis *consecratio* et *praefatio* dicitur. p. XX et seq.
Benedictio *ad omnia* antiquior ceteris p. 13, n. 31.
Benedictiones episcopales in Missa pontificali, p. XXXII, p. 85, n. 1.
Canon Missae Gregorianae aliquando in Ecclesia mediolanensi servatus, sed statim dimissus p. 87, n. **.
Canonici S. Ambrosii: (v. *Alba*.)
Catechumenorum oleum: (v. *Olea sacra*.)
Chorus: (v. *Diaconi*.)
Chrisma, ante saec. V omni tempore confici licebat — deinde tantum in Coena Domini — de validitate consecrationis chrismatis factae a presbyteris p. 93 et seq.
Cocia: eadem ac signum p. 14, n. 33 et not. circa finem.
Confirmationis ritum constituit unctio chrismatis in frontibus, p. XXII et seq. — Traditio Ambrosiana hujus Sacramanti: *ibi*, *nota*.
Consecratio: (v. *Benedictio*.)
Coronatio regum, Romae corona aurea a Summis Pontificibus,

alia coronatio Mediolani vel Modoëtiae ab Archiepiscopo p. 62, * p. 111.
Coronatio imperatoris triplex: coronationis mediolanensis diversi Ordines p. 111 et seqq.
Dalmatica: (v. *Alba*).
Diaconi in choro a dextris episcopi considebant, quod adhuc in Metropolitana mediolanen. servatur p. 44. n. 24 **.
Deus in adiutorium, initio omnium Horarum cum *Gloria* et *Alleluja* p. 3, n. 4.
Energumeni exorcismus inter ritus episcopales a S. Ambrosio commemuratus p. 68, n. *.
Episcopus electus, sed nondum consecratus, in loco ab episcopis distincto sedebat — in episcopi electione postulatio populi distinguenda a cleri electione p. 49, et seg. n. 38 — episcoporum consecratio in ecclesia majori Mediolani — suffraganeus electus iurabat fidelitatem Archiepiscopo et Capitulo Metropolitano, ibid.
Gregoriana reformatio; in ecclesia Mediolanen. non invecta, et quare p. XIX et seq.
Gloria in excelsis olim in Missa pontificali non canebatur p. 49, n. 36.
Imperatoris coronatio: (v. *Coronatio*).
Indumentorum traditio in collatione sacrorum Ordinum recens p. 40, n. 17.
Infirmorum oleum omni tempore a presbyteris olim consecrabatur pp. 95, 102, n. 10; 109, 110, n. 3. (v. *Olea*).
Lectorum electio p. 34, n. 1; p. 35, n. 5.
Linteamina altaris olim non differebant a corporalibus p. 14, n. 32.
Manipulum; (v. *Indumenta*).
Manuale ambrosianum saec. XI, mutilum, in Bibliotheca Solesmen. PP. S. Benedict. p. 31, n.
Manuum impositio in ordinatione presbyterorum facta a solis Ordinariis, et aliquando de eorum consensu a Primicerio cleri p. 45, n. 27.
Ministri sacri olim lector, subdiaconus et diaconus tantum p. 41, n. 21 **.
Modoetiae archipresbyter tonsuram conferebat p. 28 — coronatio modoetiensis p. 111.
Nuptialis benedictio ab initio sola Missae celebratione constabat: — in Ambrosiano ritu deinde accessit benedictio post Missam, a Romano mutuata p. 65, n. 1.
Olea sacra: — eorum consecratio diversa in ecclesia Mediolanen.: pp. 93, 97, 104 — ratio huius diversitatis p. 95 et seq. — olea consecranda offerebantur a presbyteris p. 104, n. 1 — presbyteri benedicebant olea catechumenorum et infirmorum, p. 94 et seq., p. 109, n. 1 — sede archiepiscopali vacante ab episcopo suffraganeo accipiebantur p. 96 — distributa inter plebanos p. 108, n. 12.
Oratio: (v. *Benedictio*).
Ordinarii Ecclesiae Mediolanensis clericalem tonsuram ex mandato Capituli conferebant p. 30, not. — ex privilegio, si ad subdiaconatum vel diaconatum promoti, utebantur

alba cum dalmatica, item canebant Missam cum diacono et subdiacono indutis alba et dalmatica p. 40, not. — ipsi soli imponebant manus in Ordinatione presbyterorum p. 45, n. 27.
Ordines minores diversis temporibus instituti p. 35, n. 5.
Ordinum sacrorum materia et forma valida ex antiquis sacramentariis utriusque Ecclesiae arguitur p. 32, not. — collatio sacrorum Ordinum ad diem dominicum pertinet — modus quo fit in Missa Ambrosiana p. 33, not., p. 49, n. 36.
Praefatio: hoc nomen non ut in hodierno usu aliquando accipitur p. XX.
Praepositus S. Ambrosii: (v. *Tonsura*) — Petri de Longo arrogantia pro vindicando privilegio collationis Tonsurae p. 29, not.
Praepositi urbani et plebani in Mediolanen. diocesi aliquando clericalem Tonsuram conferendam p. 28, n. — praesentabant suos ad Ordines ibid.
Prex: (v. *Benedictio*, p. et XX.)
Primicerius maior (ante saec. XV) ultimus post Ordinarios, et nonnisi ab ipsis vocatus, in sacris Ordinationibus imponebat manus p. 45, n. 27.
Psallentium: idest processio p. 123, n. 5.
Regum coronatio: (v. *Coronatio.*)
Reliquiarum translatio et depositio in altare facta post dedicationem ecclesiarum p. 9, n. 22 p. 24 — denunciabatur populo p. 24, n. 54.
Sermo in Dedicatione ecclesiarum p. 24, n. 54, p. 78 et seq.
Signi sive campanae benedictio, olim cum ecclesiae dedicatione, deinde post saec. XI distincta ab ipsa p. 16, n. 55.
Stola traditur in collatione diaconatus — more Ambrosiano defertur supra dalmaticam p. 43, n. 24 *.
Tabularum sive altarium viatoriorum benedictio, p. 11, n. 27.
Temporum jejunia olim Ecclesiae Ambrosianae ignota — in Romana pro conferendis Ordinibus assignata — nulla Missa Ambrosiana pro feriis quatuor temporum — saeculo XIII memorantur a Jo. de Guertiis, p. 32, et seq. not.
Tonsura clericalis in Ecclesia Mediolanensi a praepositis ecclesiarum olim facta — aliquando privativa Modoetiensis Archipresbyteri — et Praepositi S. Ambrosii, at non sine controversia p. 27 et seq. (v. *Ordinarii*, *Praepositus S. Ambrosii*).
Tonsura infantuli diversa a tonsura clericali p. 27, n. 1.
Unctio confessionis sive sepulcri altaris dedicati antiquitus non fiebat p. 22 *.
Velum extensum ante altare in repositione sacrarum reliquiarum p. 24, n. 55.
Virginum consecrario in Epiphania, Albis Paschalibus, Apostolorum natalitiis memorata ab Ambrosio et Gelasio p. 56.

INDEX ANALYTICUS

Introductio R.mi Doct. Antonii Ceriani *Praef. Bibl. Ambr.* . *pag.* IX
Praefatio Auctoris . . . . . » XVII
Descriptio codicis metropolitani saec. IX. . . . . » XXV
Descriptio alterius codicis metropolitani saec. XI . . » XXVII
De Pontificali saec. IX-X olim Ecclesiae Moguntinae. » XXXIII
De ecclesiae dedicatione tractatus e cod. ambr. saec. XII » XXXVI
De aliis codicibus . . . . . » ibi
Codices et editiones in hoc opere adhibiti. . . . . » XXXVII

PONTIFICALE SAEC. IX

IN USUM ECCLESIAE MEDIOLANENSIS.

Ordo ad ecclesiam dedicandam . . . . . *pag.* 1
Benedictio ad omnia in usum ecclesiae . . . . . » 13
Benedictio linteaminum. . . . . » 14
Ad signum idest cociam benedicendam . . . . . » ibi
Ad consecrandam patenam . . . . . » 19
Ad calicem benedicendum . . . . . » 20
Benedictio crucis . . . . . » 21
Missa in dedicatione ecclesiae . . . . . » 25
Oratio ad capillaturam infantuli . . . . . » 27
Oratio ad barbam tondendam . . . . . » ibi
Oratio ad clericum faciendum . . . . . » ibi
Ordo de sacris Ordinibus benedicendis . . . . . » 32
Ordinatio Ostiariorum . . . . . » ibi
Ordinatio Lectoris . . . . . » 35
Ordinatio Exorcistae . . . . . » 36
Ordinatio Acholyti . . . . . » 37
Ordinatio Subdiaconi . . . . . » 38
Ordinatio Diaconi . . . . . » 40
Ordinatio Presbyteri . . . . . » 44

Ad Ordinandum Episcopum . . . . . *pag.* 49
Ordinatio ad Abbatem faciendum vel Abbatissam . . . » 54
Benedictio super sacras Virgines sive vestimentorum eius . » 55
Oratio super ancillas Dei, quibus conversis vestimenta mutantur . . . . . » 55
Consecratio sacrae Virginis, quae in Epiphania, etc. celebratur » 56
Ad Missam eiusdem, etc. . . . . » 59
Benedictio Viduae, quae fuerit castitatem professa . . . » 61
Benedictio vestimentorum Viduae . . . . . » ibi
Benedictio ad ordinandum Regem . . . . . » 62
Missa pro regibus . . . . . » 64
Orationes ad sponsas benedicendas . . . . . » 65
Orationes super hominem, qui a daemonio vexatur . . . » 68
Oratio aquae exorcizatae in domo . . . . . » 72
Oratio ad fruges novas . . . . . » 73
Benedictio uvae sive favae . . . . . » ibi
Benedictio panis . . . . . » 74
Benedictio vini . . . . . » ibi
Benedictio pomorum . . . . . » ibi
Benedictio ad omnia quae volueris . . . . . » ibi
Oratio ad introitum monasterii . . . . . » 75
Oratio introeuntis in basilicam . . . . . » ibi
Oratio in sacrario . . . . . » ibi
Oratio in dormitorio . . . . . » 76
Oratio ubi vestimenta conservantur . . . . . » ibi
Oratio in refectorio . . . . . » ibi
Oratio in cellario . . . . . » ibi
Oratio in pocionario . . . . . » ibi
Oratio in quoquina . . . . . » 77
Oratio in lardario . . . . . » ibi
Oratio in pistrino . . . . . » ibi
Sermo in dedicatione ecclesiae . . . . . » 78
Alter sermo . . . . . » 82

ADDITIONES POSTERIORIS MANUS.

Benedictio in dedicatione ecclesiae . . . . . *pag.* 85
Canon Missae *(mutilus)* . . . . . » 86
Benedictio in dedicatione ecclesiae . . . . . » 88
Benedictio Virginis et Viduae . . . . . » ibi
Benedictio Virginis ab Episcopo dicendo . . . . . » 89
Ordo ad eligendum et ordinandum Abbatem . . . . . » 90

APPENDIX

ORDINES PRO CONSECRATIONE OLEORUM.

Praenotandum . . . . . *pag.* 93
I Ordo ex cod. Heriberti Archiepiscopi . . . . . » 97
II Ordo ex Beroldo Novo . . . . . » 104
Aliae benedictiones Oleorum pro catechumenis seu infirmis » 109

ORDINES PRO BENEDICTIONE ET CORONATIONE REGIS ET REGINAE ITALIAE.

Praenotandum . . . . . *pag.* 111
I Ordo ex cod. Metropolitano saec. XI . . . . . » 112
II Ordo ex cod. Basilicae Ambros., saec. XV . . . . » 121

INDICES.

Index alphabeticus orationum, praefationum, etc. . . . *pag.* 137
Index rerum in praefatione et notis insigniorum . . . . » 141
Index analyticus totius operis . . . . . » 145

3 2044 011 291 127

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

CANCELLED 1991

FEB 12 1997